

**Illusterrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiæ, 1756

Liber XIII. Animadversiones in peculiare Augustini idioma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

Ita prædestinatio prædicanda est. Præ cæteris autem respiciatque altè insculpi antimo deberet, documentum, quo D. Augustinus hic imponit coronidem: Non itaque sumus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. Non omittat hic quisvis ingenii perspicacis homo reputare secum, quam aptè loca Augustini difficiliora, eo

quem indicavimus modo, intellecta cum reliquâ omni ejus doctrinâ consentiant. Quo sit, ut ejus libri mutuam sibi opem præsent; totaque eorum series ritè inter se quadret, & cohæreat. Dum è contrario is, qui sensu ipsum non Catholico interpretatur, perperuæ ipsum antilogiaæ, dogmatis que secum ubique pugnantis reum agit.

FINIS LIBRI DUODECIMI

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER XIII.

Animadversiones in peculiare Augustini idioma.

Obortæ S. Patris nostri ætate novæ controversiæ novum quoque loquendi genus invexere, novâsque quibusdam vocabulis affixere notiones. Verborum vis ipso sæpe temporum successu mutatur, pro diversâ facie, quam opiniones, ideæ, & mores sumunt. Hinc antiquos legenti scriptores, cùm ad sensum hodiernum, & communem advertit, phrases quasdam & voces alio ab ipsis significatu prolatas sinistrè intelligere pronissimum est. Adeo, cùm infinites major sit rerum, quam verborum numerus, oportere non raro eodem vocabulo denotari res vel naturâ, vel gradu diversas; variisque sensu verba, formas ac modos loquendi usurpari. Consistit sæpe in eo vis tota ingenii, ut propriam quis vocabulorum notionem, penetret, ejusque variationem intelligat. Prægrandia conscriberet volumina, qui in animo haberet questiones, & disputationes illas congerere, quæ & natae sunt, & adhuc nascuntur ex eo, quod sese homines non intelligent, ob muratam vel quondam vel modo vocabulorum potestatem.

2. HABET tamen vel maximè locum hæc animadversio in rebus Ecclesiasticis. Religio Christiana ob alta sua mysteria, & tot nova dogmata cùm ad fidem rùm ad mores pertinentia non modò ingenitum novarum vocum induxit numerum; sed & antiqua multa vocabula, plurèisque phrases consuetas novo cœpit significatu adhibere. Qui Testamenti novi phrasin, cum antiquis scriptorum profanorum libris contulerit, reperiet novum quoddam linguæ genus; illudque è magis ambiguum, quò plenius est phrasibus metaphoricis, & tropicis, ut quandoque ænigmatis speciem præ se ferat. Crevit quandoque hæc locutionis insolentia, quod

nolent nostra Gentilibus propalare mysteria; crevitque difficultas, quantum attinet ad rem præsentem, ex formulis hebraicis ex Veteri Testamento derivatis. Ex idiomate Scripturæ manavit magnam partem idioma SS. Patrum, quorum quisque ferme singulare quid sibi præterea adoptravit, pro diversitate temporum, quibus floruit, & materiæ, quam tractavit. Atque hæc nostra magis ambiguitati, quâm omnes ceteræ, est obnoxia, quia quibusdam scatet formulæ, in quibus difficile foret significationem determinare, quæ alios sensus excludat. Vocabula hæc: *pecatum, libertas, necessitas, lex, voluntas, gratia, prædestinatio, & alia complura* hæc in re frequentissima ab uno ita, ab alio alter intelliguntur, ac sæpe ab eodem

Authore modò uno, modò alio sensu accipiuntur.

Non est quasi possibile, ut is,

qui scribit, aut loquitur, verborum suorum sensum semper, & scopum declareret; & tamen hinc & verum, & falsum pendet. Hinc est, quod res affines quidem, sed tamen differentes, sæpe permisceantur, ac se ipsis propemodum penetrant; quo sit, ut genuina earum notio facile confundatur, & à versipellibus nullo negotio alteretur, ac commutetur.

3. S. AUGUSTINUS novas Pelagianorum expensiones elusurus, novum quasi linguae genus sibi procutit; quod ut intelligas, multa ejus scripta pervolvere, atque ex uno aliud interpretari tibi necessarium est. Verum est, hauisse ipsum magnam ejus partem *lex SS. literis*, ac præcipue D. Paulo. Utitur non raro hyperbolis, phrasèisque hyperbolicas adhibet. Adhibuit eas quoque S. Paulus; unde de iis mentionem fecit Chrysostomus cùm commentaretur primam ad Corinthios: ¹ *semper ita facit, quando vult quandam adducere by-*

(1) Chrys. in 1. Cor. hom. 32. n. 5. ἡπειρ ἀττικὴ φίλατη πολιτεία, ἡταν ἡπειρολατεῖς παρασηταῖς βελτίστη.

perbolen. Ex quo discimus, Sacrorum librorum scriptores, & sanctum quoque Augustinum loqui quandoque ex usu communis, & populari; nos ipsos etiam, cum pleni simus vehementium quorundam, & tropicorum, quos usus recepit, modorum loquendi. Quare videri interdum possit, S. Doctor causae principali omnia, & alteri nihil tribuere; quasi inferiore reputaret pro nihilo; minus auxilium vocare derelictionem; minorem scientiam vocare ignorantiam; mortem vitam mortalium, debilitatem, potentiam, difficultatem necessitatem. Sed oportet totum perspicere contextum, atque ita explorare doctrinam, intelligendo semper secundum spiritum, qui vivificat; non secundum literam, quae occidit. Negligenda non est admonitio S. Bonaventuræ, quod ¹ S. Augustinus saepe quid valde abundanter exprimat; plus dicens, & minus volens intelligi. Ipse etiam S. Augustinus, occasione dicti alicujus à S. Luca prolati, earum, locutionum mentionem facit, ² quibus solent dicta exaggerari consuetudine sermoniandi. Futura prævidisse videtur, cum dixit: ³ arbitror sane nonnullos tardiores id opinaturos me sensisse, quod non sensi, aut non sensisse, quod sensi. Fas sit nobis referre hic, quæ insignis quidam Episcopus de Rhetorica Ecclesiastica agens ad Clerum suum script: ⁴ B. Augustini scripta Clerici cautè admodum legant. Ita enim acutissime ingenii præstiterit, & de rebus difficillimis tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio prædicti vivi ejus libros legentes in errores aliquando lapsi sint. Natum hoc forsan fuerit, quod non ritè acceperint quosdam modos loquendi. Unde optimus qui in quævis SS. Patribus confici posset commentarius, esset quoddam Onomasticon, quod indigitaret sensum, quo ab unoquoque voces, & phrases variis in locis usurpatæ fuerint. Translationes vocum valde etiam remotæ videntur quoque in D. Paulis, & SS. literis. Observavit Author nostrus vocare quandoque Apostolum idolatriam, & avaritiam intelligere; dicere item saepe Scripturam fornicationem; intelligere autem idololatriam.

4. Si audimus nonnullos, videretur proptermodum Augustinus potiorem anteriorum suorum librorum partem per librum *Retractionum* reddidisse suspectam; quandoquidem in illis aliud ipse saepenumero non agit, quæ explicare,

atque illustrare ea, quæ scripserat. Dicit Festus Grammaticus ⁵ retractare idem sonare, quod demò tractare; non corrigerere. Hoc sensu definitur in Codice Theodosiano: ⁶ non licere retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Scripsit ipse Augustinus: ⁷ non itaque opus est omnia identidem retractare, quæ vobis pleno libro exposui. Possidius vocavit hoc opus recensionem. Verum est, quod, cum libros suos ad incudem revocabat, quidquid ipsum offendere, vel alios offendere possit, partim reprehendendo, partim defendendo iterum attigerit. ⁸ Defendit saepe dicta, explicando; & quæ verè retractat, si pauca excipias, reduci ferè possunt ad sententiam Semipelagianam, cui ante, quam est Episcopus, in dijobus, tribus locis subscripserat; quod nimurum fides nostra gratiam Divinam præcedat. Disertè cæteroqui confirmat, quæ de libero arbitrio, aliisque rebus dictaverat; multas item propositiones, quæ quædam indigebant declaratione, nè sinistrè intelligerentur. Minus accuratè itaque Italicè ⁹ *Retractiones* redditur per ly *Ritvttazzioni*; quandoquidem minimam earum partem occupant *retractionses*. Ita quoque ubi Augustinus habet: *revelasse sibi Deum modum obscuram quandam questionem solvendi*. ¹⁰ Minus propriè redditur: *Dio gli ricevè*. Id enim hic eo sensu intelligit, quo scripsit: ¹¹ *Deum revelatuvum fidelibus, quæ non sciunt. Sed veniamus ad peculiares ejus loquendi modos*.

II. Legimus in hoc Patre: ¹⁰ *Libero arbitrio male utens bono, & se perdidit, & ipsum... viatore peccato amissum est & liberum arbitrium.* ¹¹ *Non libertate voluntatis* ^(*) *(ital. gendum.)* *quam merito iniquitat's amisi.* ¹² *Vicia enim vitiis, in quod cecidit, caruit libertate natura.* Hinc alia Scriptura dicit: *à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Ad hujusmodi propositiones adjungatur ¹³ *Quid sit* *propositionum aliarum his perfecte respondentium series.* ¹⁴ *Et non libero, vel porius servo propriæ voluntatis arbitrio.* ¹⁴ *Respondetur per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato; sed jam paenitentia vitiis facta ex liberate fecit necessitatem.... Secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* ¹⁵ *Si nullus peccaret invitus, non esset scriptum; & adnotasti siquid invitus admissi.* Hic locus est in græco apud LXX. Jobi XIV. 17. potest tamen vox *ἄκων*, quæ in hebræo non est, & in

(1) S. Bonav. 2. Sent. dist. 33. q. 2. (2) Serm. 101. n. 8. (3) de Trin. 1. 1. c. 2. (4) Card. Valer. Ep. Ver. Rech. Ecclef. 1. 3. c. 42. (5) Cod. Theod. 1. 1. de Episc. jud. (6) de corr. & gr. n. 1. (7) ep. 224. n. 2. (8) de præd. SS. n. 8. (9) epist. 198. n. 22. & hoc quoque illis ipse revelabit. (10) Enchir. n. 9. (11) Op. imperf. 1. 6. c. 10. (12) de perf. just. n. 9. (13) Cón. Jul. 1. 2. n. 23. (14) de perf. just. n. 9. (15) Op. imp. 1. 3. n. 122. in vulgata non habetur.

versione

versione ab Augustino adductâ redditur per *invitus*, iridem verti per *imprudens*.¹ Habemus autem insuper in Augustino: *Quod autem ex virtute naturae, non autem ex conditione sit quedam peccandi necessitas, audit homo.*² *Multum erras, qui necessitatem nullam putas esse peccandi.*³ *Quosdam voluntate, quosdam necessitate, vel eisdem ipsis in quibusdam voluntate, in quibusdam necessitate agere malum.*

2. UNA vel altera tantummodo hujusmodi propositio ob locutionis novitatem sufficiebat quandoque viris cæteroqui eruditis, ut ab Augustino discessionem facerent. Sufficiebat multis aliis, ut affirmare non dubitarent, illum secum ipso pugnare, invenirique in ejus libris utramque ex Sententiis inter se contrariis; Sufficiebat quoque, ut qui hæc in materia despicere cogitabat à doctrinâ Catholica, aut amphibologia aut suâ inductus malitiâ solum ipsius sese autoritate tueretur. Eveniunt tamen omnia hæc ex turpibus adeò hallucinationibus, ut eas in hominibus literatis vix locum inventuras crederes. Ubi enim ita loquitur Augustinus, aut loquitur de liberatione quæ nobis conferuntur per primam gratiam; & sine quâ post primi Parentis transgressionem non posset se ipse homo ad bonum sese supernum erigere; aut loquitur de concupiscentiâ congenitâ, quam peccati nomine compellat. Atque de hoc primo loco agemus.

PECCATUM nostris hodie auribus idem sonat, quod culpa à nobis admissa, atque tantundem valet, ac delictum. Noster autem Author cùm peccatum nominat disciendum semper est, an intelligat peccatum propriè dictum hoc est voluntatis, an vero impræcione tale. Peccatum nostris hodie auribus sonat culpam propriam & æquivalet delicto. Quicunque autem Augustinum in manus sumit quomodo poterit non continuò deprehendere, usurpari hoc ab ipso vocabulum diversis modis; ac sæpissimè quidem ad denotandam congenitam nobis concupiscentiam? adeò, ut quandocunque peccatum nominat, attendi semper oporteat, an de proprio hoc est voluntatis peccato, aut de minùs proprio, hoc est de naturâ virtutâ intelligat. Postquam S. Paulus concupiscentiam vocavit peccatum,⁴ adhæsit ei hoc nomen in idiomate Ecclesiastico, & speciatim apud D. Augustinum. Consule hic ea, que hæc super re diximus libro secundo, cùm adferemus ipsius commentationis in caput 7num epistole ad Romanos. Alia nonnulla hujus suæ doctrinæ testimonia

hic proferemus.⁵ Non solum peccatum illud dicitur, quod propriè vocatur peccatum: liberâ enim voluntate, & ab scientie committitur; sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est. Scriperat aliquando, non dari peccatum nisi voluntatis. Exponit autem in Retractationibus non contradicere per hoc Apostolo dicenti, habitar in nobis peccatum. Enimvero hoc peccatum usque adeò non est in voluntate, ut dicat: quod nolo, hoc facio. Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pena peccati est; quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur. Hoc igitur, & maculam originis sæpe intelligit Augustinus, quando illius peccati facit mentionem, quod ita peccatum est, ut sit pena peccati.⁶ Dixit Apostolus: *Item non ego operor illud, sed id, quod habitat in me peccatum; quia non mente operabatur consentiendo, sed carne concupiscono.* Hoc enim peccati nomine appellat, unde oriuntur cuncta peccata, id est ex carnali concupiscentia.

3. NEMO autem est, qui nesciat, non stare per arbitrium nostrum, quod minùs existat in nobis concupiscentia, possumus quidem eam refrænare, & non consentire; non item extinguiere, aut, ut in nobis non sit, efficere. En igitur, quo pacto in nobis necessario materiale hoc peccatum sit, cùm possibile non sit perfectum animæ in omnes corporeos impulsus dominium. Quare mirum nemini videri deberet, si quando dixit Augustinus, hæc in re servum potius esse nostrum arbitrium, quam liberum; si dixit relatè ad hoc amissam esse libertatem, reperiri in nobis necessitatem peccati, & subsecutam ex culpâ pñalem vitiositatem, de libertate fecisse necessitatem.⁷ Vidimus, ubi Sanctus noster interpretatur D. Paulum, quod aliud sit operari justè, aliud perficere justitiam, quo verbo intelligitur non habere quis perturbationes animi, nec tentationes; id quod non nisi in Cœlo consequimur. Docet id ipsum pluribus aliis locis, & præcipue in Tractatibus in notos D. Pauli versiculos: dicit in uno horum: *Aliud est non concupiscre; aliud post concupiscentias non ire. Non concupiscere omnino perfecti est; post concupiscentias suas nonire, pugnans est, luctans est, laborans est &c. Quando erit victoria? quando absorbebitur mors in victoriam? . . . cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem; & mortale hoc induerit immortalitatem.*

4. QUAMDIU igitur hanc vitam degimus, necessitamur ad tentiendam concupiscentiam

(1) de nat. & gr. n. 79. (2) Op. imp. l. 1. c. 105. (3) l. 5. c. 60. (4) Rom. VII. 17. (5) de lib. arb. l. 3. n. 54. (6) Retr. l. 1. c. 15. n. 2. (7) n. 3. (8) Serm. 155. n. 1. (9) de perf. just. n. 9. (10) Serm. 154. n. 8.

tiam; id quod etiam quandoque Augustinus appellat *desiderare*. Quo in verbo advertendum est, nè erroris ansam capiamus, intelligi h̄c ab ipso desiderium carnis, non mentis; quod postremum verum esset peccatum, & voluntarium.¹ *Item dixi vobis, sic esse accipendum, quod ait Apostolus: Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati, ut carni n̄ib⁹ plus permitatis, nisi desideria, sine quibus non potest esse; si autem desideris malis consenseritis, vici plangetis.* Desiderii itaque nomen tribuit naturali incentivo peccandi; unde D. Paulus habebat facere, hoc est non consentire malo desiderio. At non inveniebat perfidere, hoc est non sentire malum desiderium. Præceptum: non concupisces! intellec̄tum quandoque fuit de proprio desiderio, id est de appetitione disertè prohibitâ; quandoque de minùs proprio, id est, de naturâ. Unde S. Augustinus exponens S. Paulum: *Prohibitus sum, ait concupisces,⁹ nec implevi iusta⁹ sed vici⁹ sum.*² *Plenitudo est ista virtutis, perfectio iustitiae, palma victoriae: Ne concupisces. Hoc quia modo impleri non potest, vel illud impleatur, quod S. Scriptura item dicit: post concupiscentias tuas non eas. Prohibitio nè concupiscamus, intelligitur, quatenus desiderium tuum tale esse debeat ad Deum, ut nec sit ipsa concupiscentia, cui resistas.*⁴ Quatenus item et si finiri non possit, minui tamen in dies possit. Attamen,⁵ quādū h̄c vivimus, efficere id perfectè non valemus; ideoque exclamabat Apostolus: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus!* Verbo: *tum deum⁹ perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt.* Quando autem sunt quidem, sed resistunt, fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentia malæ non consenit, & ex aliquâ parte remanet malum, quia... concupisicitur... In eo præcepto scimus, & quod debeamus in h̄c mortalitate proficiendo conari, & quod posset à nobis in illâ immortalitate beatissima perveniri. Posset etiam h̄c quādam ratione distingui præceptum proprium, & improprium; siquidem propriè non imperatur nobis, nisi actio iustitiae; quare habemus ex Magistro nostro:⁷ *Non ait Apostolus: concupiscentias carnis adverterias ne habueritis, quoniam videbat perfectam pacem carnis, & spiritus non posse in corpore mortis hujus impleri; sed ait, concupiscentias carnis ne perfeceritis... ut non perficiamus consentiendo, sed resistendo vincamus.*

⁵. En demum tibi peccatum! en necessitatem, de quā s̄a loquitur Augustinus, quando loquitur de peccato, & de necessi-

tate, quā superat, vincitque libertatem arbitrii! Quemadmodū nostrā ætate ipsius idioma aut non intellexere, aut non voluerunt intelligere ita & illud vel non intellexerunt, vel noluerunt intelligere Pelagiani. Manifestam cæteroqui ipse reddidit fæpiusmentem suam, omnēmque amphibologiae viam præclusit.⁸ *Quis autem Catholicon dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periuit per peccatum; sed illa, quā in Paradiſo fuit, babendi plenam cum immortalitate iustitiam.* Adamus ante lapsum nec morti subjectus erat, nec concupiscentiae, & in omnes suos motus exercebat dominium. *Magna autem illa, peccati merito, amissa est libertas.*⁹

APPARET plerumque h̄c veritas ex locorum istorum contextu, ubi dicta sententiae reperiuntur. Quando dixit *perditam libertatem, ideoque invocari liberatorem, expressit malum, quo ipsi liberum non est absinere*, esse illud, de quo D. Paulus dixit: *Non quod volo bonum facio, sed, quod nolo malum, hoc ago.* Quando dixit, liberum arbitrium in hoc servum esse potius, quām liberum, reprehendebat Pelagianos,¹⁰ quia jāctabant possidere se perfectionem iustitiae; volebantque liberi arbitrii virtute perfidere se hominem h̄c in vitâ posse; quod idem foret, atque abolere concupiscentiam, relatè ad cuius existentiam arbitrium non est liberum; cùm possit quidem eidem resistere; expellere autem, ejusque impulsus impediare non posit. Agebat de peccato illo,¹¹ quod est pena peccati, quando peccandi libertatem perisse affirmavit, *multumque errare, qui necessitatem nullam putat esse peccandi.* Agebat de dicto jam loco D. Pauli de concupiscentiâ, dicens:¹² *Non quod volo facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago.* Vides si igitur, quām longè absit verus S. Doctoris sensus, ab eo quem verba præ se ferunt! Dicitis illis, quārūdioribus videri possint favere sectæ Calvini, opponantur ea, quæ jam tum Episcopus protulit, faventia in speciem Semipelagianis, atque à nobis sub decimi libri finem relata. Agnoscamus ex his, mentem ipsius, quām mille locis expromit, semper attendendam esse; ejusque doctrinam non tam ex quibusdam locis perferam intellectis, sed ex totâ scriptorum serie colligi oportere. Quando adversus Pelagianos disputat, eadem circa ipsos adhibenda est cautio, quā utendum vidimus in Patribus anterioribus, cùm propositos sibi

(1) Serm. 152. n. 2. (2) n. 4. (3) Serm. 151. n. 3. Ecclef. XVIII. 30. (4) n. 5. (5) Serm. 152. n. 2. (6) de nupt. & concup. l. 1. n. 32. (7) Op. imp. l. 5. p. 1313. (8) ad Bonif. l. 1. n. 5. (9) de corr. & gr. n. 37. (10) Op. imp. l. 61. 21. (11) Con. Jul. 2. n. 23. Hic enim vultus, hominem perfici, atque utiliam Dei dono, & non liberò, vel potius servo propriæ voluntatis arbitrio, à quā perfectione &c. sive proficacimini perfectionem iustitiae; (12) Op. imp. l. 1. c. 104. 1105. (13) l. 5. c. 60.

habebant Gnosticos. Credibile profecto est, quemadmodum antiqui usuri non suis- sent certis loquendi modis, postquam re- pertus fuit, qui errore eas sensu accipe- ret; ita nec Patrem nostrum certas alias usurpaturum fuisse, postquam extitere, qui eas sinistram in partem detorquerent.

6. EXPOSUIT citra omnem controver- siam mentem suam, quando Hieronymia- nae illi sententiae: ¹ *Nec ad virtutem, nec ad vitia trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est, summopere applausit, dicens: Quis non agnoscat, quis non toto banc veri- tatem corde suscipiat?* & pergit: *In recte faciendo nullum est vinculum necessitatis. Alio in libro: ² Nullo modo est peccatum, si non sit voluntarium... meliores servos suos esse Deum judicavit, si ei servirent liberaliter.* ³ Si quis aliquid necessitate fecisset, *nullo pecca- ti crimen teneretur.* In solenni sua definitione peccati expressit, ⁴ ut tale sit, de- bere esse liberum, abstinere. Alibi: ⁵ debere liberam voluntatem, & a sciente committi. Af- firmavit: ⁶ mala esse, voluntario peccato animae, cui dedit Deus liberum arbitrium. Notari in primis meretur, ubi scribens contra Pelagianos docuit: ⁷ malam voluntatem solam peccatum esse; & si voluntas non est nisi ab illo, peccatorum, quod ab sit, au- torem fore Deum. Nec ⁸ peccatum, nec recte factum imputare cuiquam justè posse, qui nibil fecerit propriam voluntate. ⁹ Peccati rerum tenevere quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summae iniquitatis esse, & insanie. ¹⁰ Usque adeo peccatum voluntarium esse malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Hanc ob causam de peccato improppio monuit saepe, quod non sit imputabile; quod ¹¹ insit in membris, sed reum non faciat. Ita & praeceptum, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente; quia ait, non im- pleturos nos istud nisi in vita futura ob con- cupiscentiam. Affirmat igitur, hoc nobis etiam nunc praeceptum esse, ut admoveveremur, quid fide exposcere, & quod spem debeat amus praemittere. Neque ¹² modò vitio nobis verti, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta ex perfecta consequetur cognitio- ne. Illa enim ¹³ tantummodo peccata sunt, qua committuntur non necessitate, sed voluntate; ita ut ab eis liberum sit abstinere.

7. NON defuit, qui persuadere aliis con- naretur, definitionem peccati, quâ often- ditur de essentiâ hujus esse libertatem ab-

stinendi, retractatam fuisse ab Augustino; properea quod de eâdem in Retractatio- nibus denuo differuerit. Dum è contrario eandem ibi confirmat, & explicat. Pelagi- giani nolentes ejus doctrinam intelligere, urgebant perpetuò, quod, postquam con- fessus hâc definitione fuisse, non dari pec- catum nisi voluntarium, non possit amplius defendere, infantes nasci in peccato, & dari concupiscentiam. Afferit in retractationi- bus, quod peccata non essent peccata, ne- que justè vindicarentur, nisi fierent voluntate; & fuisse declarat, verissimum esse, ¹⁴ pecca- tum, quo consentitur peccato concupiscentia, nonnihil voluntate committi; nec propriè nisi voluntate peccari. Sed vocatam etiam ita fuisse ab Apostolo pñnam peccati, id est, carnis concupiscentiam, ad quam sua se de- finitio non extendat. Confirmat itaque hic aliam etiam definitionem: ¹⁵ *Voluntas est animi motus, cogente nullo; repetitque, de- finitionem peccati, quâ dixi, ¹⁶ peccatum est voluntas retineendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere, properea veram esse, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pñna peccati. Repetit denis facile vi- cibus idem in ultimo opere contra Julianum; & in aliis saepe, ¹⁷ consensum nos- rum esse, nec ullâ re fieri mentem servam libidinis, nisi proprio voluntate.*

III. PROGREDIAMUR modo ad alterius sensus observationem, quo Magister noster nonnunquam dicit, quod libertas passa sit naufragium; hoc est, nisi à gratiâ per actus supernaturales, & ad ope- randum pro vitâ futurâ cum merito libe- remur. ¹⁸ *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, intellige ad amandum amore supernatura- li. Hæretici illius ætatis acriter propug- nabant, posse nos ex nobis, & sine ope Celesti obtainere fidem, & operando mereri. Demonstrabat Augustinus, posse nos quidem hæc omnia, sed virtute gratiæ, & voluntatis per ipsam præparatæ; arbitrio nimirum ita per primi parentis peccatum offenso, ut illum non amplius ex se habeat vigorem.* ¹⁹ *Nemo credit, nisi libero voluntatis arbitrio: Sed paratur volun- tas à Domino. Quando igitur in ipso legimus: ²⁰ *Neminem liberum ad agendum bo- num; non ibi sistendum est, sed pergen- dum sequitur enim: Sunt adiutorio Dei.* Quando damnat eos, qui libero arbitrio*

(1) de nat. & gr. n. 78. (2) de ver. rel. n. 27. (3) n. 28. (4) de duab. anim. n. 15. (5) de lib. arb. 1. 2. n. 54. (6) Cont. Fort. n. 20. (7) de Spir. & lit. n. 54. (8) de Quæst. 83. qu. 24. (9) de duab. anim. n. 17. (10) de ver. relig. n. 17. (11) Serm. 152. n. 2. de Spir. & lit. n. 64. (12) n. 65. (13) Op. imp. l. 1. c. 109. (14) Retr. l. 1. c. 9. n. 3. & c. 15. n. 2. (15) n. 3. (16) n. 4. (17) Op. imp. l. 1. c. 42. l. 2. c. 38. l. 5. c. 50. l. 6. c. 21. de lib. arb. l. 3. n. 2. &c. (18) Epist. 217. n. 12. (19) Op. imp. l. 6. c. 10. (20) Op. imp. l. 3. n. 109.

tribuunt potestatem bene operandi, eos impugnat, qui confiteri recusabant potestatem hanc non dari, nisi gratia Dei. In cuius rei confirmationem repetit eodem Opere: ² Peccato Ad arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus; sed ... ad bene .. pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & adiuta. Sic Arulicana Syndodus ex mente Augustini definit: ³ Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari; quod amissum nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Sexcenties repetit Sanctus noster, hominem non esse liberum, nisi liberetur; liberatio autem, quae per primam nobis gratiam obvenit, sublevar, extollit, & perficit arbitrium, non evertit. ⁴ Non enim liberum arbitrium ideo tollitur, quia iuvatur, sed ideo iuvatur, quia non tollitur. In Tractatu de correptione: ⁵ Per secundum Adam Dei gratia liberati, & ista liberatione habentes arbitrium liberum, quo serviant Deo. In Enchiridio: ⁶ Quid boni operatur qui perditus est, nisi quantum fuerit a perditione liberatus? nunquid libero voluntatis arbitrio? at hoc absit. Pergit dicere, quod quemadmodum eripere quidem quis sibi vitam potest; at se ipsum ad illam revocare non potest: ita quoque se potuerit homo ex se peccati jugo subjicere, vinci ab eodem se permitendo; non possit autem ad statum pristinum postliminio reverti, nisi liberetur a filio. *Ad* justi faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiae caperit servus. Deum vanam eorum superbiam, qui propriis se viribus bone posse operari exultant, retundit Apostolus dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem*. Julianus tricando, eandem semper incudem tundebat; inquiens, S. Augustinum, dum negat homini facultatem ad bonum, negare pariter libertatem, atque ita eundem collocare in necessitate peccandi. Capere autem solebat, facultatem hanc ad bonum supernaturale, & meritorum negari solum nudo arbitrio, nec gratia munito, id est sufficientiam illam facultate, quam gratis largitur Deus. Nec volebat pariter capere, sufficere ad libertatem indifferentem, quod habeatur potestas operandi bene; nec quidquam officere, quod non habeatur virtute nobis congenitam, & nostrâ propriâ, sed recuperatâ atque a Deo donatâ.

2. MAGNO quidem strepitu, at planè abs re adductum fuit, ubi citat Augusti-

nus illam D. Petri sententiam: ⁸ *A qua quis devictus est, huic & servus additus est.* Planè quasi per hoc significet Servum esse arbitrium, non liberum. Loquitur enim hic D. Petrus de vitiis sectariorum quorundam, quæ ita eis dominabantur, ut illorum servi jure appellarentur, cum servi essent corruptionis. ⁹ Quisquis autem in hunc se ultra statum conjicit, se ipsum acuseret. Quicunque peccat, servus est peccati, inquit Salvator. Quare præterea commonendus lector est, necessitatem quandoque consequentem intelligi ab Augustino, natam ex culpâ peccatorum derelictorum à gratia, quia eandem iteratis vicibus dereliqueré, atque in peccatorum aliorum peccatum lapsi sunt in flagitia majora; quæ necessitas nihil obest libertati, utpote liberè procurata. ¹⁰ *Illa est enim peccati pena justissima, ut amittat quisque, quo bene ait noluit, cum sine illâ posset difficultate si vellet.* Id est autem, ut, qui scens recte non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit. Fortassis etiam quandoque respicit Augustinus ad impotentiam omnibus omnino noxis venialibus abstinenti. Potuit etiam quandoque uti necessitatis vocabulo, sensu populari, pro operibus ex parte involuntariis, & ad significandam vim quandam & difficultatem, non quidem insuperabilem, sed magnam, & vehementem, cuiusmodi est in animi perturbati motibus; De hoc censu est, quod dixit Op. imperf. ¹¹ *Quisquis ex timideitate peccaverit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud, quam necessitate peccabit?* Notat furem pauperem solere dicere: *necessitas coegerit me.* ¹² Item, quando dixit: ¹³ *Nec libera (perfectè) dicenda est voluntas, quamdiu est vincentibus, & vincentibus cupiditatibus subita;* verum non oportet crassâ Minervâ hujusmodi dicta intelligere. Etiam nos consuevimus dicere quandoque, possibile non esse, ut ejus persuasiōni quis resistat, ejus facundiâ omnem expugnari voluntatem, &c. Nec tamen per hoc intelligimus, verè illum constringere, nec repugnare eum posse, qui velit. Scribit Augustinus, dum ante conversionem non resistebat consuetudini, peccatum factam fuisse necessitatem. ¹⁴ Non tamen de verâ id, atque absolutâ intellexit necessitate, si quidem re ipsâ ope gratiae eandem superavit, & vicit. Appellavit alibi ¹⁵ malam consuetudinem genus mortis immane; quæ autem peccare consuevit, hunc dixit sepulatum. Videbis nihilominus ea, quæ sequuntur.

(1) ad Bonif. I. 1. n. 5. (2) I. 2. n. 9. (3) Syn. Arauf. n. 13. (4) epist. 157. n. 10. (5) de corr. & gr. n. 25. (6) Enchir. c. 30. (7) ibid. (8) de perf. just. n. 9. (9) 2. Pet. II. 19. (10) De lib. arb. I. 3. n. 52. (11) Op. imp. I. 1. n. 105. (12) in Pf. LXXII. n. 12. (13) epist. 145. n. 2. (14) Conf. I. 8. n. 10. (15) in Jo. Tr. 29. n. 3.

tur: *Novimus, vidimus, quotidie videmus bonines pessimā consuetudine permutatā vivere melius, quām vivant, qui reprehendebant. Nemo desperet, nemo de se præsumat.* Exponens illud Scripturæ: ¹ non poterant credere advertit, non perinde id accipendum, ac si verē mutari in melius non posset. Immo alio in loco rō non posse exponit per nondum plāne velle? *Homo qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenē velle cognoscat.* Quando igitur ait interdum, *jubere Deum aliique, quæ non possumus, non contradicit allaræ sepius alibi doctrinæ, Deum nibil impossibile homini præcepisse, sed significat necessitatem recursus ad Deum, atque orationis; loquiturque hunc in modum: ideo jubet ... ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.*² Adverte itidem, cùm dicit *non posse*, innuere sāpenuero in gentem difficultatem, quod inde discimus, quod subiungat, orare debere homines, *ut imperent domum facilitatis.*³ species quædam antilogiæ se offert quandoque, sed quæ non obstante vario locutionum significatu deteguntur. Sribit in eādem quasi periodo, non venisse à sola gratia conversionem S. Pauli, & venisse à sola gratiā; verūm aliud intelligitur de vocatione, ex quā nihil debetur homini; aliud de ipsa operis effectione. Quapropter non una sola hujusmodi locutio proferenda est, sed utraque. Dicit quidem, ⁴ *ut autem de Cælo vocaretur, & tam magnā, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Sed proximè antecedunt verba Apostoli: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* In quæ Augustinus: *Igitur nec ipsi solus, sed gratia Dei cum illo.*

3. AMBIGUITAS, de quā ante; quod nimirum in Augustini scriptis quidam non satis distinguant peccatum proprium & liberum à necessario, & impropprio, plures alias produxit. Quemadmodum ipse concupiscentiam vocat peccatum, ita & peccatum vocat ignorantiam inculpabilem, hoc est, illam quæ in peccatum primi delicti pariter, & necessariò naturam nostram debilitatem comitatur. Ob hos defectus ⁵ ad Deum fides clamat, de necessitatibus meis educ me: sub quibus positi, vel non possumus, quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valamus implere. Ostendit etiam illam peccatum esse, ⁶ cùm David dicat: *Delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantia meæ; & cùm in lege Mosaicā sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.* Quæ tamen de ignorantia ex negligentia proveniente, fe-

intelligere alibi innuit: ⁷ quæ negligentia peccata etiam per Sacrificia quædam legis videbantur expiari. Sicuti autem idioma hoc derivabatur ex Scriptura, ita & ceteris quoque Patribus, & præcipue Hieronymo commune fuit, quippe cui etiam contra Pelagianos dimicandum fuit.⁸ Cū Ecclesia etiam ea, quæ per ignorantiam delinquimus, & sola cogitatione peccamus, delicta esse fateatur, in tantum, ut hostias pro errore jubeat offerri &c. Et in secundo dialogo, urgente quopiam, ut proferretur testimonium novi Instrumenti, ubi error & ignorantia, & impossibilitas mandati teneatur in criminis, adfertur testimonium Pauli tanquam irrefragabile: *Quod enim operor, non cognosco; Non enim, quod volo, hoc operor.* En quam hic impotentiam, quam ignorantiam intelligi oporteat! Hinc est, quod scripsit Augustinus: ⁹ *Cæcitas igitur cordis, quā nesciunt, quid justitia retinet, & violentia concupiscentie... non tantum peccata, sed penæ sunt etiam peccatorum.* Sribit itidem: ¹⁰ *Quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, magno labore addisci. Qui autem hoc nesciunt, illos ipsa boni appetendi, malique vitandi ignorantia pati peccandi necessitatem.* Quemadmodum autem hæc sunt peccata materialia; quæ justitiam non offendunt, sed perfectionem tantum justitiae, quæ hæc in vitâ vix est speranda: ita & præceptum imponitur, ut talem etiam ignorantiam, quoad ejus quidem fieri potest, superemus; interim secundum Augustinum, *non quod nescit imputatur animæ ad reatum, sed quod scire non studuit.* item: ¹¹ *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quævere.*

4. Et sāne ignorantia facilis ex peccato proprio potest participare, quia ¹² accidente industria non minui tantum; verūm etiam in hæc vitâ potest consuvi. Concupiscentiam verò in hæc vitâ quis ambigat posse minui; non posse consumi? Huc forte resperxit, quomodo afferuit, ¹³ etiam hoc genus imputare Deum justum, ideoque hujus veniam posci. Verūm ægrè fiet, ut ignorantia juris naturalis sit sine culpa. Decætero aliquam peccatis ignorantia veniam dari, ostendit, allato dicto Apostoli: ¹⁴ *blasphemus fui, & persecutor; tamen misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci,* existens adhuc in incredulitate. Eorum porro ignorantiam quod attinet, quibus annuntiatum non fuit Evangelium, ubi ait: *neminem excusari, ut sempiterno igne non ardeat,* aspera sāne videtur hujus rei ratio, quam adfert, nimirum, quod hæc ignorantia sit

(1) In Jo. Tr. 53. n. 10. (2) de gr. & lib. arb. n. 32. (3) de pecc. mer. n. 7. (4) de gr. & lib. arb. n. 32. (5) ibid. n. 12. (6) de perf. iust. n. 9. (7) de gest. Pel. n. 43. (8) de nat. & gr. n. 19. (9) S. Hier. dial. 1. & 2. (10) Con. Jul. l. 6. c. 17. (11) Op. imp. l. 1. c. 105. (12) de nat. & gr. n. 81. (13) Con. Jul. l. 6. n. 49. (14) Op. imp. l. 1. c. 105. (15) de lib. arb. l. 3. n. 51.

pœna peccati. ¹ Noluit tamen facere hoc loco digressionem, ad enumerandas illas damnationis causas, quas alibi sœque recensuit, nempe, non voluisse ipsos uti suâ ratione ad cognoscendum Deum, neque ad audiendum ea, quæ Deus, in cujusque animo, cùm lex naturalis omnium cordibus insculpta sit. ² Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hoc & antequam lex datur, nemo ignorare permisus est; unde judicarentur, & quibus lex non est data. Exeo, quod in psalmo quodam dicatur: Prævaricantes existimavi omnes peccatores terræ, infert esse aliam quandam legem, præter Mosaicam, ob quam prævaricentur aliarum nationum peccatores. Ubi enim ³ non est lex, nec prævaricatio. Quæ ista lex est, nisi forte illa de quâ dicit Apostolus: Gentes quæ legem non habent, naturaliter faciunt ea, quæ legis sunt.

⁴ QUANDO D. Augustinus certas propositiones, extra illum casum, & sensum, probandas reprobat, causas rei illius oportet intelligere, atque inde ob propositiones recens proscriptas, doctrinam petere. Dixerat exempli causâ Julianus: ⁵ desideriis suis traditos esse idem sonare, quæ relictos esse per Divinam patientiam, non per potentiam in peccata compulso. Quæ certè doctrina in se sanissima est, atque à D. Augustino pluribus in locis exposita, & propugnata. Nihilominus nè hanc quidem probat in Juliano; quia noverat, Pelagianos malè sentire de Divinâ potentia, contendentes, non posse Deum, nisi dependenter à primâ hominis voluntate servare quenquam, aut perdere; nec posse peccata aliorum pœnas esse peccatorum; sed posteriora æquè, ac prima à libero venire arbitrio, non Divinâ permissione, atque in pœnam. Ea propter D. Augustinus multas adducit Scripturæ authoritates, quibus habetur, Deum omnipotentiâ suâ res omnes ita disposuisse, ut multi in pœnam peccatorum alia porro peccata commiserint. Facit hæc, inquit, ⁶ miris, & ineffabilibus modis. Admiratio & ineffabilitas ex eo nascitur, quod ista faciat Deus, quin obster libertati, & quin sit author peccati. Si hoc non foret, nullus esset locus admirationi; neque illa reperiatur difficultas in explicando, quo modo haec fiant. Incassum itaque omnia hæc proferuntur loca, ad evincendum, quod censuerit Augustinus, & doceat Scriptura, Deum suâ potentia ad malum impellere. Concludit ipse hic in hæc verba: Deus non facit voluntates malas; sed utitur eis, ut voluerit, cùm aliiquid iniquè velle non possit.

(1) de gr. & lib. arb. n. 5. (2) in Pf. LVI. n. 1. (3) in Pf. CXVIII. Serm. 25. n. 4. (4) con. Jul. 1. 5. n. 13. (5) n. 15. (6) Serm. 128. n. 9. (7) de gr. & lib. arb. n. 8. (8) de pecc. mer. l. 2. n. 32. (9) de pecc. mer. l. 2. n. 4. (10) Op. imp. l. 2. c. 217. (11) ibid. n. 106. (12) Expos. epist. ad Gal. n. 49. dam

IV. Gratiam viætricem peculiaribus Augustini vocabulis multi vulgo accensent, quando ipse duas has voces nusquam planè conjunxit. Potest cæteroqui, & debet viætrix appellari gratia, quia, dum bonum agimus, ipsa ita vincit, uti concupiscentia, dum malum operamur. *Spiritus Dei* est ¹¹ qui pugnat in te pro te ^(*) adversus il- (*) Perpetuam quod est in te contra te. At non ideo persuaderi debebat non legentibus, vocabulum hoc viætrix inventum atque perpetuò usurpatum fuisse ab Augustino. Neque persuaderi debebat, viætricem esse omnem gratiam; ejusque viætoriam in eversione arbitrii; dum contra in dissipandis temptationibus consistit; ideoque per ipsam viætoriam consequitur arbitrium. ¹² Victoria, quæ peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. Nominavit aliquando Author noster declarationem viætricem alicius operis justi. Cùm jam his verbis inniti possint indigitati duo errores, judicet ambo, quisquis ingenio prædictus, suique compos est! quo tamen in numero non repónimus homines scitæ Spiritu, partiumque studio jamtum præventos: cùm sperari non possit, persuasum iri legendu, quiante quâ legeret, in contrarium obfirmavit animum. ¹³ Deus bonus ideo Sanctis suis alicius operis justi non tribuit vel certam scientiam, vel viætricem delectationem; ut cognoscant non à se ipsis; sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, quæ dei fructum terra eorum. Vult dicere, relinqui quandoque homines probos in ariditate Spiritus, in tristitia, in mentis caligine, atque in desidiâ & tarditate ad operandum; ut advertant omne bonum suum esse donum, illudque eos non à semet ipsis habere. Quam igitur iniquæ viætoriae nomine abutuntur novatores! quo usus non raro est Sanctus noster ad significandum statum eorum, qui jamtum evasere periculum. ¹⁴ Donec absorbeat mors in viætoriam, & pace perfeciâ nihil, quod vincatur, existat. In aliis libris: Victoria est terminus præliorum. ¹⁵ Pax viætoriae nullum intrinsecus, nullum extrinsecus patitur inimicum. ¹⁶ Altera gratia certantem facit, atque adjuvat; altera viætorem esse sine hoste ullo vel externo vel interno in aeternâ pace conservat. Illa laboriosa militia est in præsenti sæculo; illa beata requies in futuro.

2. MIRE sibi applaudunt nonnulli in illis Patris nostri verbis, ubi alios virtutem alios virtus sequi afferens, dicit: ¹⁷ Quod enim amplius nos declarat, secundum id operemur, necesse est. Monstri simile est, velle quo- Explicatur
locus ab ad-
verbitis
jactari felici-
tus.

dam ex hoc effato inferre agendi necessitatem, quando dilectio ab amore, amor autem à liberâ voluntate nascitur. Id quod paulò post ex eodem hoc Augustini libro discimus : ¹ *Manifestum est certè, secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus; sectabimur autem, quod dilexerimus.* Hæc itaque necessitas consequens est, nascens ex habitudine animi sponte à nobis contractâ. Immo non vera est necessitas; siquidem ² *in potestate hominis est, mutare in melius voluntatem.* Dixit contra Faustum: ³ *sinibil delectaret illicitum, nemo peccaret &c.* Sed *in eo genere ista rationalia facta sunt, ut inesse eis possilitas frenandi delectationem ab illicito.* Non cogi nos ad faciendum id, quod magis delectat, nemo melius statuit, quām ipse, quippe qui id in semet ipso expertus fuit. *Non faciebam, inquit, quod in comparibili ⁴ effectu amplius mibi placebat.* Ex his omnibus facile est intelligere, quām malitiosum sit vocabulum illud: *delectatio viatrix* in libris Jansenii, volentis operari nos secundum delectationem è duabus prevalentem. Ex quo principio non pauci errores, ac propositiones sæpe, modò in uno, modò in alio hærefiarchâ proscriptæ manarunt. Quām falsum itidem sit principiū hujus Authorem esse Augustinum; vel ex eo intelligi potest, quod in ipso id nec Petrus Lombardus, qui omnia ejus adduxit principia; nec D. Thomas, nec aliis quisquam ex præcipuis Theologis reperire potuerit, qui certissimè non omisissent de eo differere. Falsum itidem est, quod S. Augustinus gratiam definièrit per delectationem, dixeritque non agere ipsam nisi per modum dilectionis. Communior & frequentior illius expositio, quam dedit, fuit, ut eandem vocaret *adjuvatorium.* Compendio tradidit dogma, ubi dixit: ⁵ *sine illo adjuvatorio nihil bene nos vellet, & agere.* Descripsit eam sæpius à variis suis effectibus, quorum unus est, quod viam salutis tametsi spinosam reddat tamen suavem, ac delectabilem. Cæterū sæpissimè eriam gratia agit interius per dolorem; hinc scimus despectum mundi, & conversiones passim nasci ex rebus adversis, ex eventis rerum tragicis, atque inexspectatis, in vita, & voluptatum ambitionis, que semitâ occurribus. Disputat de his etiam Augustinus pluribus in locis. Tantum quippe abest, ut crediderit, ⁶ *requiri ad omne opus bonum delectationem, eamque esse actum indeliberatum, qui post se trahat consensum, ut cum suis somniat Jansenius.*

3. UTITUR sæpe Author noster phrasi

salvum facere; quæ non semper de vita ^{facere variæ accipiuntur.} Æternæ largitione accipienda est, derivando hanc significationem ad eum locum, quo dicit: *Deum nos non salvos facere ex operibus.* Hic loquendi modus peritus est à D. Paulo; & sicuti ipse passim baptisini & fidei donum intelligit, ita & passim facit Augustinus. *Non ex ⁷ operibus justitiae, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Ad Ephesios: ⁸ *Gratiâ enim eis salvati per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum eis; non ex operibus, ut nemo glorietur.* In quæ verba hanc Augustinum ad Deum adhibet apostrophen. ⁹ *Nihil in eis invenis, unde salves, & tamen salvas; & alibi gratiam ¹⁰ commemorans, quâ salvi facti sumus. Quid, inquit, gloriari in tua justitia? dedisti fortè aliquid, ut salvus es!* Quid contulimus nos, ut nasceremur parentibus Catholicis? Legitur pariter in S. Petro: ¹¹ *salvos vos modò facit baptismus.*

4. PER ¹² Sanctus apud Augustinum perinde, ac D. Paulum passim indigitari fideles, in alio jamtum libro planum fecimus. In epist. ad Colos. ¹³ *Qui dignos nos fecit in partem fortis Sanctorum.* Sortis nomine non venit hie consecutio beatitudinis, sed baptismi. Ita S. Lucas in Act. ¹⁴ *Et sortem in ter Sanctos per fidem.* Immo vocis hujus significationem tradit Augustinus ubi agit de dicto illo: *In manibus tuis sortes meæ.* In interpretatione Psalmorum: ¹⁵ *Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam quâ salvi facti sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei.* Nam ubi dicitur; *iste facit, iste non facit, merita considerantur, & ubi merita considerantur, electio est non fors: quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis sue nos salvos fecit; quia voluit, non quia digni fuimus.* Ostendimus jamtum titulum libri de prædestinatione Sanctorum, idem sonare ac si diceret: *de fide quæ est donum Dei.*

5. DICIT sæpius esse meritum electi, & ¹⁶ *electi quid significet?* non electi; cùm id ex merâ oriatur gratiâ. Sed adverti oportet, per ¹⁷ *electi* non semper intelligi electos ad Celestem beatitudinem, sed lâpe ad fidem Christianam. Dicit in libro de prædestinatione. ¹⁸ *Elegit ergo Deus fideles, ut sint, non, quia jam erant, in verba illa Servatoris: Sed ego elegi vos de mundo, hoc est secrevi vos a peccatoribus.* Electi sunt inde, ¹⁹ ait Augustinus, non meritis suis; & subdit, *Deum non invenisse purum illud, quod eligeret, sed fecisse, quia reliquæ secundum electionem gratia salvæ*

¹⁰ *salvum*

(1) n. 54. (2) Retr. I. 1. c. 22. n. 4. (3) Cont. Faust. I. 22. n. 28. (4) Conf. I. 8. c. 8. (5) de gr. Chr. n. 25. (6) Jansen. de gr. Chr. I. 4. c. 11. (7) Tim. III. 5. (8) Eph. II. 8. (9) Serm. 169. n. 3. (10) in Ps. CXLII. n. 10. (11) I. Petr. III. 21. (12) Col. I. 12. *οὐ τὸν ἀσπεργατὸν καὶ ποτὸν ἀγίων.* (13) Act. XXVI. 18. (14) in Ps. XXX. Serm. 3. n. 13. (15) de præd. SS. n. 34. (16) Jo. XV. 19. in Jo. Tr. 89. n. 5. Rom. XI. 1.

factae sunt. Quem D. Pauli locum respi-
cientem paucos illos, qui fortes persiste-
runt in fide, hanc in rem saepius adducit, ut in libro de patientia, ubi concludit; hanc Dei electione significari, quod ipsius gratia præveniat etiam fidem.¹ Vocabulum hoc originem trahit & ex D. Paulo, & ex D. Joanne: ² Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti, & inimiculati. In quem locum ita Augustinus: ³ Quod profecto si propterea dictum est, quia præficit Deus credituros; non quia faci-
turus fuerat ipse credentes, contra istam præ-
scientiam loquitur filius dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. En, quod hic in-
telligatur electio ad fidem!

*Alius locus
explicatur.* V. DECANTANT nonnulli, docuisse Augustinum, naturam esse communem; non item gratiam; eamque iusto iudicio non dari omnibus. Deducturos se inde præ se ferunt, falsum esse, quod censuerit ipse, loqui in cuiusvis animo quodammodo Deum, ut libro decimo demonstravimus. Verum amphibologia ex produceto loco nascitur, quod non adverant, gratiae nomine ve-
nire non raro baptismum, & fidem. De proximè baptizandis dixit, quod accessu-
sint ad gratiam.⁴ Prædicare gratiam idem ei est, quod fidem annunciare.⁵ Quâ quidem in re plures SS. Patrum ei consensere.⁶ In tribus periodis à S. Augustino relatis vocem istam hoc sensu ter usurpat Divus Cyprianus. Innocentius I. de illis loquitur,⁷ qui post acceptam gratiam in for-
eversi exercitatione versati sunt, & S. Leo de die legitimo celebrande gratiae, id est confe-
rendi baptismatis.⁸ Verum ut certi hac de re reddamus, sat erit recitare loca ante prolata, non dimidiata, ut fieri amat, sed integra. Dicit itaque ipse: *Ad gratiam, . . . non omnes pertinere: non enim omnium est fides.* Dicit iridem: *Qui de paganis nascuntur, ab ipso facti sunt, & non sunt populus ejus. Communis est omnibus natura, non gratia.* Et paulo post nominat gratiam, quâ Christiani sumus. Sic reprehendit Pelagium, quod doceat, non esse aliam gratiam, præter possibiliterem insitam naturæ.⁹ que paganis, atque Christianis impiis, & pii, fidelibus, atque infidelibus communis est. Legitur item:¹⁰ *Hæc gratia cur ad illum ve-
niat, ad illum non veniat, occulta esse potest
causa; non tamen iusta.* Sed agitur hic de infantibus quibusdam cum baptismo; & aliis sine illo decedentibus; item deli-
beratis ab eâ irâ, quâ omnes sub peccato sunt.

(1) de patient. n. 17. (2) Eph. I. 4. (3) de præd. SS. n. 34. Job. XV. 16. (4) Conf. I. 8. c. 2. (5) de pecc. mer. I. 1. n. 31. Ubi ei prædicari gratia Christiana non possit. (6) vid. ad Bonif. I. 4. n. 23. (7) Inn. I. Ep. 3. n. 7. (8) S. Leon. Ep. 18. n. 4. (9) Epist. 186. n. 1. (10) de pecc. mer. I. 1. n. 9. (11) de don. perfec. n. 27. (12) 2. Theff. III. (13) in Ps. LXXVII. n. 2. (14) 1. Theff. II. 12. (15) Luc. XII. 31. (16) Quæst. in Ex. I. 2. qu. 54. n. 3. (17) in Rom. Hom. 15. n. 1. οὐδέποτε διὰ τῆς χάριτος, διὰ τῆς νοούσας. in 1. Cor. Hom. I. n. 1. εἰς δέξαντες, ιαντες γαρ ἡγέρεις δογμα τῆς θεοφανείας. (18) in Ps. XXXIX. n. 4. (19) Eph. I. 6. de præd. SS. n. 37. (20) Epist. 199. 35.

Adducitur quoque: *In eo, quod aliis Deus dat gratiam, aliis non dat, cur nolunt can-
tare Domino misericordiam, & iudicium?* sed non adfertur sensus præcedens: ¹¹ *Quod etiam parvulos Deus, quibus dat suam
gratiam per baptismatis sacramentum, eruat
de potestate tenebrarum, & transferat in reg-
num filii caritatis sue.* Vide igitur, cùm ait Augustinus, *non communem omnibus
esse gratiam*, aliud non agere, quâm repe-
tere verba D. Pauli: *Non enim omnium est
fides:* ¹² Nota præterea, ¹³ cùm sint omnia
communia sacramenta, *non communem esse
omnibus gratiam, quæ sacramentorum virtus
est.* Nam & hæretici habent eundem baptis-
mum; & non eandem gratiam, quia falsi
fratres sunt, licet eodem gaudeant nomi-
ne. Advertendum interim, τὸ non dāri
interdum gratiam iusto iudicio intelligi etiam
quandoque à Patre nostro de illis, qui eā
se reddunt indignos, & deseruntur, quia
deseruerunt.

2. LOCUTI fuimus libro secundo de *Glória, reg. n. 33.* vocibus gloria, & regnum; ostendentes, quandoque eas non intelligendas de regno Cœlesti; sed de fide Christianâ. Scriptis Apostolus ad fideles Thessalonenses, quod ¹⁴ *vocaverit eos Deus in regnum suum, & gloriam;* cùm prædicationem ejus receperint, tanquam verbum Dei. Hortabatur Servator apud S. Lucam, ut ¹⁵ *quererent* primum regnum Dei, & justitiam ejus. S. Augustinus de eâ loquitur *vocatione*¹⁶ quâ nos vocavit in suum regnum, & gloriam non pro meritis nostris; sed pro misericordia suâ; de eâ simul loquens misericordia, quâ se gentes introducturum pollicebatur ad fidem. Pergit ostendere, dicto hoc jugulari Pelagianos, volentes initium fidei esse à nobis, cùm neminem præcedentibus bonis operibus suis misericordiam tantæ vocationis meruisse appearat. Ad locum illum Pauli: *illos & glorificavit*, aliqui Codices habent: *magnificavit*. Chrysostomus exponit glorificavit, dicens, quod ¹⁷ eos glorificaverit per gratiam, & adoptionem; & explicat τὸ in gloriam suâ, quia suam gloriam nostram existimat salutem. Advertit Augustinus; quod ¹⁸ quando nos Deus glorificat, faciat nos gloriosiores, faciat nos honoratores. Quemadmodum Apostolus habet, quod prædestinaverit Deus fideles in laudem gloriae suæ, ita dicit ipse, quod operetur Deus, ut simus ¹⁹ in laudem gloriae ejus. Dicit etiam ²⁰ duas esse gentes; & duo regna: unum scilicet Christi, alterum diaboli, & reg-

num

num Dei hic esse Ecclesiam.¹ Immo regnum Cælorum etiam Ecclesiam, ² quæ hoc tempore est, appellari. In alio opere: Ergo Ecclesia & nunc est regnum Christi, regnumque Cælorum. Ex eo, quod fides sœpe vocaretur regnum, ortum est, ut quandoque etiam vocaretur regnum Cælorum, cùm sit prima in illud introductio. Sic concupiscentia dicta fuit peccatum, quia primus fomes peccati.

3. Fas sit adnotare hic per modum digressionis, quod regnum Cælorum etiam apud S. Matthæum in parabolâ de Vinea, aliud non videatur significare, quâm fidem. Variè cùm ab antiquioribus intellecta fuit hec parabolâ, tum à recentioribus: non videtur tamen intelligenda esse de gloria Cœlesti; quia nusquam legitimus in SS. paginis, dum aeternum confertur præmium, idem dari præmium ei, qui multum defudavit, & ei, qui parum. E contrario reperire ibidem est, reddendum fore cuique pro meriti sui ratione. Videtur itaque rectius intelligenda de fide Christiana, dono nimirum gratuito, ad quod nihilominus admissi fuere Gentiles, qui serius venerant, quâm Hebræi, qui tanto tempore ante cognoscere Deum cœperant. Hoc quippe erat caput illud controversum, quod bene inculcari oportebat, & cui subscribere tergiversabantur Hebræi. Hoc sensu in considerationem venire nec debet labor, nec merces; sed tantummodo æqualis admissio eorum, qui prius, qui posterius, qui item serò, & qui mature venerunt. Hinc concluditur: Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi; multi item vocati: pauci verò electi; & hinc notavit Hieronymus, ³ Hebræos juxta vocationis ordinem primos fuisse; & appellatos caput, non secundos. S. Augustinus pluibus modis interpretatus est; celeberrimum tamen videtur, quod haber de unit. Eccles. Cur enim hoc non potius de Iudæis intelligimus, qui ⁴ novissimi facti sunt, cùm fuissent primi; & de Christianis ex gentibus, qui primi facti sunt, cùm fuissent novissimi? Affirmat etiam, opus & laborem in illa vinea typum esse justitiae, ⁵ non regni Cœlestis. Justitiae autem nomine fidem intelligi postmodum exponit: ⁶ Diximus, opus Dei esse justitiam. Interrogatus autem Dominus Iesus, quid esset opus Dei, respondit: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit.

4. ADVERTENDUM universè, cùm à S. Augustino, immò nè à SS. quidem literis eodem semper sensu usurpata fuerint

vocabula, ponendam esse curam in varia-
tione hâc nonnunquam observandâ. Per
vitam aeternam quandoque fides intelligi-
tur. S. Joannes scribens ad Neophytes:
Vitam aeternam dedit nobis Deus. ⁷ & pos-
tea hâc ad vos scribo, ut sciatis, quoniam
vitam habetis aeternam, qui creditis in no-
mine filii Dei. In Evangelio suo: Hæc est
autem vita aeterna, ut cognoscant te solum
Deum verum; & quem missi Jesum Christum.
Augustinus huc respiciens: ⁸ Vita
aeterna, ait, definita est, ea esse, ut cognoscant
unum verum Deum. Per filios Dei, & per
adoptatos modò intelligebantur admissi ad
fidem, modò electi ad Cœlum. Piores
Paulus vocavit filios promissionis. ⁹ Nos au-
tem fratres secundum Isaac promissionis filii
sumus. S. Augustinus modò intellexit elec-
tos ad Cœlum, ut quando scriptis: Non
enim perit filius promissionis. ¹⁰ Modò elec-
tos ad fidem, ut, quando dixit; ¹¹ Filios
quippe promisit Deus Abrahæ, qui fidei ejus
vestigia sequebantur. Et si filii promissionis in
senen deputantur, offendendo Deum Judei
degeneraverunt; nos promerendo Deum de ge-
nere Abrahæ facti sumus, non pertinentes ad
carnem; sed pertinentes ad fidem. Per voca-
tos secundum propositum modò intellexit
Sanctus vocatos secundum Dei voluntatem:
modò vocatos per prædestinatio-
nem completam. Vide caput V. libri se-
cundi. Sæpius habet, vocationem non esse
meritorum. Sed hoc nomine eam intellige-
re solet, quæ est ad fidem. ¹² Vocatis sumus,
quando Christiani facti sumus. Agens de Ja-
cob, & Esau: ¹³ Non ex operibus, sed misericordia Dei vocamus, ut credamus. Etiam
misericordia significare non raro solet
concessionem fidei. ¹⁴ Misericordiam con-
secutus est, ut fidelis esset. Desigatur autem
semper animo, in novo instrumento, &
in S. Augustino fidei nomine sæpiissimè ve-
nire Religionem Christianam; ac proinde
non fidem duntaxat, sed & opera. Cùm
baptismo item, & præparatioue ad ipsum
permiscebantur sœpe actus, & exercitium
multarum virtutum.

VI. GRADUM nunc facimus ad consi-
derandam classem quandam vocationis se mu-
tuò respicientium; & ex quarum rectâ
perceptione magnam partem pendet in-
telligentia certi cuiusdam sui dogmatis,
plurimatumque sententiarum, quas toto
Operæ sparsit, ac disseminavit. Sunt de
hoc censu: massa, damnatio, supplicium,
pœna, mors, perditio, vasa iræ, vindictæ,
contumelie. Vasa honoris, & misericordia,

Expendan-
tur aliae vo-
ces Augusti-
ni.

(1) de Civ. l. 20. c. 9. (2) de S. Virg. n. 24. de Civ. l. 20. c. 9. (3) Hier. in c. XI. l. 5. 2. (4) de
unit. Eccl. con. Donat. n. 37. (5) Serm. 49. n. 1. (6) ibid. n. 2. (7) l. Jo. VII. 11. & 13. & XVII. 3. (8)
de Spir. & lit. n. 37. vid. in Joan. Tr. 105. n. 3. (9) Gal. IV. 28. (10) de corr. & gr. n. 20. (11) de
præd. SS. n. 20. in Psalm. LXXXIV. n. 4. (12) Serm. 158. n. 4. (13) Exp. quar. prop. n. 64. (14) de
don. perf. n. 56.

salus, liberatio. Voces hæc non semper profectò eodem sensu ab ipso acceptæ fuerunt. Docuit ipse: ¹ *Verba saepenumero de rebus aliis transferri propter similitudinem.* Ut autem cognoscamus, quomodo plerumque hujusmodi voces usurparit, atque in D. Paulo primo harum fonte intellexerit: id enim verò multum pender ex notitiâ, cuius ipse fuerit sententia circa condemnationem humani generis ob primi parentis transgressionem. Si existimamus, censuisse ipsum, omnes ejus posteros ob hoc peccatum flammis æternis fuisse addictos, quamvis apud nonnullos locum habeat gratia, omnia hæc vocabula huc erunt referenda. Si contrà judicamus, censuisse ipsum omnes Adæ posteros ad hoc damnatos, ut nascerentur omnes in peccato; sub cuius iugo quamdiu gemunt, spe Deum intuendi semper preventur; damnatos idem ad perferendas vitæ hujus miseras, & ipsam denique mortem, diversam magnâ ex parte significationem illis dare oportebit.

*Ambigua
Augustini
sententia
de infantib.
sine
baptismo
moriendi-
bus.*

2. *P*ro primâ opinione facere videntur, ea loca, quibus exprimitur, exhibeturum esse Deum misericordiam, ² si à massâ perditionis ille, qui corripitur, gratia lar- gitate discretus est; ³ & non est inter vos ira, quæ perfecta sunt in perditionem; & ubi ait de mortuis sine baptismo: ⁴ *Non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnata, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Et ubi ⁴ de iis, qui verè perseverat, non sunt, affirmat: *Non sunt à massâ illâ perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti; & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.* Idem esto iudicium de epistolâ ad Vitalem. ⁵ *Scimus... carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere; nec liberari à supplicio mortis æternæ; quod trahit ex uno in omnes transiens justa damnatio, nisi per gratiam renascantur in Christo.* Pro alterâ opinione facere videntur multa alia loca, quæ, quia non perinde haec tenus observata fuere, longiori disquisitione indagabimus.

3. *P*raemittere illis licebit unam animadversionem. Leges humanæ, quando æqui & honesti regula sunt, vocari possunt radius increasæ justitiae in præstantiorum hominum animis productus; possunt item appellari fulgor quidam *legis æternæ* ⁶ *nobis impressæ.* De his autem novimus, atrocissimorum etiam delictorum, & maximè perduellionis pœnam, transire quandoque jubent perpetuò in poste-

ros. At de pœnis *privativis* id semper intelligitur; nunquam autem de *afflictivis*. Spoliati privatique perpetuò polteri manent possessionibus, jurisdictionibus, iuribus, privilegiisque, quæs ante ipsos gau-debat author, parens, vel quidam ex majoribus. Nunquam autem damnantur, ut & ipsi crucias & supplicia subeant corporea. Videri poslit inditus esse omnibus naturalis hic instinctus, à congenito nobis naturali lumine, exemplaque Divino propagatus, dicente Augustino: ⁷ *in lege illâ temporali nihil esse justum, atque legitimum, quod non ex hac æternâ sibi homines derivâint.* Quapropter videtur confici inde itidem posse, Altissimum non perpetuo rogo addixisse Adami posteros ob ejus delictum; sed tantummodò eò damnasse, ut æternâ, temporaneâque felicitate maneat privati: æternâ quidem, quia vi hujus maculæ excluduntur Paradiſo; temporaneâ autem, quia nos modò oportet hinc afflictiones, infirmitates, & mortem; indè concupiscentiam, ignorantiam, luctamque perpetuam sustinere. Hæ sanè pœnae sunt affligerentes; at temporaneæ; suntque penalitates secundariae ex nostrâ damnatione consequentes, atque à præsente naturæ conditione inseparabiles, ut ne ii quidem qui Cœlo destinati sunt, his sine immunes. Potissima tamen, & terribilissima supplicii pars consistit in privatione, & incapacitate, dum huic culpæ subsumus, intuendi vultum conditoris.

4. *V*ENIAMUS nunc ad S. Patris nostri sensa. Docuit ille, genus humanum esse massam perditionis, & ivisse omnes ex uno in condemnationem. ⁸ *In uno homine tota est massa vitiosa, & tota damnata.* Credere oportet Christianum, ⁹ ivisse ex uno omnes in condemnationem. Verum indaganda diligenter est, atque inspicienda vis ac sensus condemnationis; quâ ¹⁰ ex eadem conspersione unus damnatur; alter justificatur. En, quomodo damnationem non opponat beatitudini consequendæ, sed justificationem; quod idem est, ac liberationem à peccato! Dixit saepe ¹¹ massa peccati, massa iræ facti sumus omnes. Ut securè autem deprehendamus, quem lata in omnes Adæ posteros condemnationis proprium effectum crediderit Augustinus, inquirendum videtur, quo modo huic quenquam se subductum existimaverit. Si enim innuit, ad eam à se amoliendam requiri decretum prædestinationis ad gloriam, efficaciter concludi potest, condemnatione

*Massa per-
ditionis, ea
sa ira &c.*

(1) In Jo. Tr. 53. n. 3. (2) de corr. & gr. n. 25. (3) n. 12. (4) n. 16. (5) epist. 217. n. 16.
(6) de lib. arb. l. 1. n. 15. (7) ibid. (8) de præd. SS. n. 16. (9) Op. imp. l. 2. n. 142. (10) ad Simpl. l. 1.
qu. 2. (11) Serin. 33. n. 9.

hēt hanc respexisse pēnas inferni. Si autem docuisset, abisci hanc posse per baptis̄mum, admodūm probabile fieri videtur, censuisse ipsum, sententiā hāc non omnibus designari statim aēternas, quibus baptis̄mūs adultos non eximit; sed porius idigitari maculam originis, funefaria ejus consec̄taria ab ipsiis in pēnam circumferri. Quāquam autem vir sanctus sepe suis in Operibus rem istam attingat, nunquam tamen profectō vel verbo innuit, solvi hāc damnationē hominem per beatitudinem sibi destinatam; dum contra sēpē eam appellat¹ damnationē originalem, quae baptis̄mo expiat̄. Scriptūque in ultimo suo opere:² Nullus hominum, nisi per Adam trahit̄ ad damnationē; de quā per lavacrum regenerationis homines liberantur.³ Necessarium afferuit baptis̄mū, ut, qui per generationem illi condemnationi obligati sunt, per regenerationem ab eadem condemnatione solvantur.⁴ Renascendo per gratiam transferuntur, tanquam de massa ruine ad cedūcī firmamentum.⁵ Ab illā originali damnatione ejusdem Divina gratiæ largitatem discernuntur. Scriptū itidem:⁶ Ex illā massa primi boni nis, cui mērito mōrē debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur.... Subdit: Et hinc evidentius apparet̄ à pēna debita liberato, & gratis justificato, quantum beneficii conferatur, quod alter æquale reus sine punientis iniquitate punitur.⁷ Neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti, & damnationis obstricūm, neminemque inde liberari nisi renascendo per Christum. Plura alia hujusmodi loca adduci possent, ex quibus patiter colligitur, nos secundūm ipsum à massa, cui mōrē debetur; item à pēna hāc & supplicio liberari gratuitam obtinendo justificationem, & renascendo in Christo. Redemptionis virtutes nostræ ita reparatae sunt; ut constituti sumus, in via salutis; non persistente amplius puro Systēmate justitiae, sed gratiæ. Baptis̄mūs, & quæ eundem comittuntur, gratia omnibus nationibus aditum ad salutem reclusere.

Liberatio, vocatio &c. 5. Vox liberatio, hausta est ex loco illo Apostoli, ubi ipso usū eam explicat:⁸ Qui nos liberavit, & vocavit vocatiōne suā sancta, non secundūm opera nostra; sed secundūm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu. S. Augustinus, posteaquam ostendit,⁹ fidem esse dominum Dei; ita pergit: Cū autem non omni-

bus detur, fidelem morere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem. Et postea: unde constat, magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur... ut, qui gloriatur, non in suis meritis, qua parva videt esse damnatis, sed in Domino gloriatur. Cū autem istūm portiū, quām illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia ejus. Videtur itaque hāc condemnatione per baptis̄mū, & fidei virtutem nos liberos censuisse Augustinus; idque mēra gratia; quandoquidem locum non habet meritum, utpote in nascentibus omnibus æquale. Dūm contra nunquam in adultis æquale est meritum illorum, qui Cælum consequuntur, & qui in inferni barathrum aguntur præcipites. Maxima vocabulorum istorum pars non ita propria est Augustino, ut in aliis quoque Patribus non inveniatur. Legitur in Chrysostomo, quod per baptis̄mū pēnā liberemur¹⁰ quod salvi facti sumus per fidem; quod Redemptor reprobator jam̄um, & ob primi pārentis culpani condemnatos nos fideles liberaverit, & justos fecerit, & filios suos.

6. ID EM dic de vocabulis supra indicatis. Ordinat Deus,¹¹ ut omnes ex uno cānt in condemnationem; quorum non fuerit renāsentium liberator: ipse quippe dictus est filius ex eadem massa faciens aliud vas in hominem secundūm misericordiam; aliud in contumeliam secundūm iudicium. Eodem libro: sed & mōrē congenita est nobis. Contra Julianum:¹² Et evāsevit mortem, quā natus fuerat in peccato. Vocat alibi¹³ damnationem mortis illam, quæ homines concupiscentiæ subjecit. Etiam hoc vocabulum à D. Paulo manavit:¹⁴ In omnes homines mōrē perransit. Christus destruxit mortem. In psalmos:¹⁵ Quia nihil boni ante feceramus, unde talia dona mereremur; magis, quia non gratis inferretur supplicium, ideo gratis præstitum est beneficium. Nihil præcesserat in meritis nostris, nisi unde damnari debemus. Ille autem non propter nostrām justitiam, sed propter suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Noster etiam nova peccata, in qua ob peccata præcedentia nos labi Deus sinit, vocavit peccatorum supplicia præteritorum.¹⁶ Scriptū S. Paulus, fuisse se¹⁷ naturā filium iræ, sicut & ceteros, quia & ipse cum macula originis natus fuit. S. Augustinus in hunc Apostoli locum ait;¹⁸ si filii iræ, filii vindictæ, filii pēnæ, filii gehennæ; & tamen id non poterat intelligere de vindicta æternā, & pēnis inferni. V. sa iræ dixit

(1) de corr. & gr. n. 13. (2) Op. Imp. l. 2. n. 125. (3) epist. 157. n. 11. (4) epist. 187. n. 33. (5) de corr. & gr. n. 13. (6) epist. 186. n. 16. (7) epist. 190. n. 3. (8) 2. Tim. l. 9. (9) de pred. SS. n. 16. (10) in Rom. hom. 10. n. 2. κατόπιν ἀπολαύσας in 1. Cor. hom. n. 1. οὐσιών δια τινας. (11) Op. imp. hom. 15. n. 3. ὁ ἀπολογητὴς οὐ τινας δια τινας... τινας δια τινας &c. (12) Op. imp. hom. 1. 1. c. 113. (13) l. 6. n. 83. (14) de lib. arb. l. 3. n. 51. (15) in Jo. Tr. 24. (16) PG XVIII. Serm. 2. (17) Con. Jul. l. 9. (18) in Jo. Tr. 24.

Apostolus esse apta in interitum. Hic Interpretus noster: ¹ Ipse Dominus Jesus credentes à non credentibus, id est ab iræ vasis vasa misericordia disseruit. Nominat etiam ibidem D. Paulus filios diffidentia. Interpretus noster: ² Filii diffidentie sunt infideles; & quis hoc non est, antequam fidelis fiat?

*Secretio à
massâ per-
ditionis,*

7. OBSERVARI præterea potest, quod S. Augustinus & cùm sermonem habebat ad populum, & cùm scribebat, se aliosque fideles recensebat intra separatos à massa damnationis, & liberatos; ideoque omnes ad perfolvendas toro pectora Deo gratias cohortatur. Ubi ostendit, ³ inter ceteras gratias majorem esse istam, quā Christiani sumus. Exponit deinde: Unam fuisse massam perditionis ex Adam, cui non nisi supplicium debebarur. Nihilominus facta esse vasa in bonum ex eādem massâ, cui proinde justa damnatio debebatur. Gratulare, ait hic ad quemvis ex suis auditoribus, gratulare tibi, quia tu evasisti, & vitam non debitam reperisti. Habet potestatem figulus luti eādem massâ facere aliud quidem vas in bonum, aliud in contumeliam. Sed dicas, quare me fecit in bonum, & aliud in contumeliam? Hic recurrat Sanctus ad responsionem Apostoli, non debere nimis nos cùm Deo contendere, ejusque decretorum causas exquirere. Credibile vix est, non fuisse in eā populi multitudine quosdam, qui vitio alicui fuerint obnoxii, qui actu rei fuerint peccati, & qui aeternum fuerint perituri. Nihilominus dicit omnibus, quod effugerint damnationem, quod secreti fuerint à massa, quod vasa sint in honorem. Non videtur itaque his verbis aliud intellexisse, quām culpam originis, & baptismum quo ipsa aboletur. Damnationem autem, quae per peccata actualia incurrit, quāque rogo aeterno nōs addicit, quis se evaluisse jactare poterit, dum aurā hāc vitali fruitur? ⁴ Quis ex multitudine fidelium, quandiu in hac vita mortali vivit, ... in numero prædestinationum se esse præsumit? Demum Epilogi loco est periodus sequens: ⁵ Meritò autem videretur in iustum quod sunt vasa iræ ad perditionem si non esset ipsa universa ex Adam massâ damnata. Quod ergo sunt nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pñam; quod autem sunt renascendo vasa misericordiae, pertinet ad indebitam gratiam. Disquisitionis hujus fructus esse ille potest, quod manifestò agnoscamus, quām longè disjuncta, quāmque aliena ab opinionibus Jansenianis, eorumque postularis, & corollaris sint om-

nia sensa D. Augustini, quacunque etiam ex parte spectentur.

VII. Non fuerit inutile aliorum etiam vocabulorum, ex quibus amphibologia quandoque nata fuerunt, utsim Ecclesiasticum indicare. Per tenebras intellexit nonnunquam Augustinus infideles, eos quoque impios vocans, iniquos, & similes. In Jobum: *Tenebrarum barum* scripsit Apolitus, hoc est impiorum, quibus ad Dominum conversis dixit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino verba directa ad Ephesios*, qui fidem recens fuerant amplexi. ⁶ Infideles significantur nomine tenebrarum. ⁷ Filios diaboli infidelitas facit, que peccatum antonomastice vocantur. ⁸ Recte inquit iniquos, quia ex operibus potuerunt cognoscere creatorem. Observandæ quoque forent voces: reprobatio, & reprobatio, si Pater noster, his uti confuevisset; quod ipsum quidem fuisse crederet, qui consulter indices plurima ex ipso loca sub pluribus vocibus citantes. At qui re ipâ hæc deinde loca inspiciet, reperiet non extare ibidem has voces; & ubi indicet innuunt loca, quibus reprobi opponantur electi, nec unam nec aliam in Augustino hujusmodi vocem reperiri. Vox illa reprobi non occurrit nisi rarissimè apud Augustinum; usurpata tamen pro *inprobis*, hoc est malis. ¹⁰

2. DE vocibus: *indurare*, & *excæcare* ex Scripturâ ortum habentibus, sæpius disseruimus. ¹¹ Quā æquitate cuius vult miseratur, & quem vult, obduret, se tanquam hominem ignorare fateatur. Illud autem, quod ignoramus, cur aliis concedatur, aliis negetur, est fides concessa nobis, non autem tot aliis populis; quare sequitur: quāvis nemo ab illo justificetur meritis predictibus. *Excæcare* aliquando indicat permissionem Divinam. *Judæi ex aliis* ¹² *occultis peccatis Deo cognitis justam pñam* *bujus cæcitatibus*; subierunt; *excæcationem* *verò illam*, ob quam credere non poterant, *aliis quibusdam peccatis meruerant*. ¹³ *Qui contempserit vocacionem, & disciplinam* *Dei excæcatur ad damnationem*. Possentem animo concipi dictum aliquod magis asperum in speciem, quām illud Servatoris apud Joannem? *Venii, ut qui vident cæci* *fiant*. Verūm hic hebraismus ita declaratur à nostro Interpretate: Per non videntes intelliguntur hæc illi, qui se putant videntes, & medicum non querant, ideoque in suâ cæcitate permanent. ¹⁴ Voce *desertus* etiam usus fuit non raro Augustinus. De hac porro infigendum semper animo est

(1) Epist. 117. (2) de Trin. I. 13. (3) Serm. 26. c. 11. & 12. (4) de corr. & gr. n. 40. (5) epist. 190. n. 9. (6) in Job. c. 39. p. 677. (7) in Ps. LXXXVII. n. 12. (8) Ad Bonif. I. 3. (9) in Job. c. 12. (10) de Civ. D. I. 18. c. 49. Multi reprobi miscentur bonis. (11) ep. 186. n. 20. (12) Con. Faust. I. 13. c. 11. (13) in Ps. IX. n. 1. (14) in Jo. Tr. 44. n. 17.

primò; quod¹ Deus non deserat, nisi de-
seratur, & dignos deserit tantum deserat.
Deinde, quod hujusmodi derelictio, non
reddat idcirco desperatam nostram salu-
rem.² Ecce deserit peccatorem! .. & quis
se ipsum liberabit, si ille deseruerit? Er-
go desperatio est? absit.... Non deseret qui
frigidus est, ut nix; non deseret qui
fulcis est, ut nebula; non deseret, qui du-
rus est, ut chrystillum. Ita alibi:³ Pecca-
tor ab interiore Dei luce secluditur; sed
nondum penitus, cum in hac vita est. Et in ser-
monibus:⁴ Quidquid feceris, quaecunque
peccaveris, adhuc in vita es; unde te Deus
omnino, si sanavi nollet, auferret.

3. **NON** defunt, qui exsistit vocibus
à S. Augustino in peculiari quandoque sig-
nificatione adhibitis accensere etiam posse
tò ignis, tormenta, gehenna; contendentes,
ipsum aliquando hæc usurpare pro qua-
cunque afflictione, & privatione simplici.
Verum, cùm erui rei hujus veritas non
possit, nisi sciamus, cuius ipse fuerit op-
inoris circa damnationem parvolorum si-
nè baptismō decedentium; æquum est ut
hac de re hic ex instituto differamus. In
rebus quæ ad dogma non pertinent, quæ
nec revelata, nec decisa sunt, & in quibus
alius hanc, alius aliam præferat sententiam,
utriusque opinionis momenta pro more
nostro referemus. Sunt itaque multi, qui
consent, doctrinam ipsius hanc esse, quod
damnatio infantium ante baptismum sus-
ceptum exspirantium, intelligenda sit de
igne æterno; idque apparere manifestè ex
sequentibus ejus dictis: ⁵ **Dux habitatio-**
nes; una in igne, alia in regno æterno. ⁶
Nullus relictus est medius locus, ubi ponere
queas infantes &c. Qui non erit in dextra,
procul dubio in sinistrâ; ergo qui non in reg-
no, procul dubio in igne æterno. ⁷ **Nec est ul-**
li uetus medius locus, ut possit esse, nisi cum
diabolo, qui non est cum Christo. ⁸ **Exsus-**
flantur parvuli in exorcismo, antequam bap-
tizentur, quasi ad expellendum inde de-
monem, quo possidentur; Quid miraris in
igne æterno cum diabolo futurum, qui in reg-
nūm Dei intrare non sinitur? Hæ profecto
sententiae perspicue videntur, & decre-
toriae. Adde, intellectam ita fuisse, at-
que iisdem denuo verbis prolatam hanc
ejus doctrinam à S. Fulgentio, qui erat
unus ex Patribus ipsum proximè subsecu-
tis. Idem dic de quibusdam aliis. Hoc
tamen obstante, aut voces has, & expresio-

2. MAGNI quoque facienda est sententia Theologiae Scholastice Principum, quia omnes magnam doctrinæ suæ partem hau-serunt ex Augustino; unde credi fas est, eō etiam modō hunc fuisse ab ipsis intel-lectum. Magister sententiarum, qui omnia propemodum ex ipso derivat, scripsit in hunc modum: ¹¹ Parvuli pro eo nullam aliam ignis materialis, vel conscientie vermis pñam sensi, nisi quod Dei visione care-bunt in perpetuum. Prætermittimus D. Bernardum, & summum Pontificem In-no-centium III. qui ita pronunciavit in qua-dam Decretali: ¹² Pena originalis peccati, est carentia visionis Dei; actualis vero pena est gehenna perpetua cruciatus. Verum ex

(1) de nat. & gr. n. 25. & 29. in Ps. LXV. n. 9. Non enim deserter opus futurum si ab opere non deseratur.

(1) In Pl. CXLVII. n. 26. (2) in Pl. VI. n. 8. (3) Serm. 351. n. 12. (4) Serm. 161. n. 4. (5) Greg. Naz. pag. 655. ed.

Serm. 294. n. 3. (7) de pecc. mer. l. 1. n. 55. (8) Op. imp. l. 3. n. 199. (9) Greg. Naz. p. 5.

Paris. an. 1630. οἱ δὲ βοῦς εἴησαν συνάμμετοι τοῖς οἰκουμεναῖς, οἵα τοι οὐκέτι
πάντας πορεύονται, μόντε καλλιθεαῖσι τερπτοῖς δικαίοις κρίταις, ὡς αὐτοῖς γεγενέσθαι μέν, ἀποικίης δὲ ἀλλα πατόντες

(10) *Greg. Nyfl. de infant. &c.* η γαρ ἀνέστι πελευτή των γυναικῶν οὐτε εἰς αὐτούς εἶναι τοι εἰσιν τοιούτοις. (11) *Per. Lamb. 1.2. dist. 33.* (12) *Inn. III. 1.3. Conist. 1.3. 5.*

Ε ε 3

Digitized by srujanika@gmail.com

For more information, contact the Office of the Vice President for Research and Economic Development at 515-294-6450 or research@iastate.edu.

For more information, contact the Office of the Vice President for Research and Economic Development at 319-273-2500 or research@uiowa.edu.

quo sacrum hoc studium ad methodum redigi coepit, agniti à turmis numerosis Duces & capita, puta, Scotus, Aegidius, Bonaventura, & præ ceteris D. Thomas unanimi calculo amplexi fuere sententiam primam, & antiquiorē; introducto limbi nomine ad denotandum illum locum, in quo degunt infantes ad Divinā visione carendum damnati. Vocabuli hujus potestas, post Servium in Virgilium, à Joanne Genuensi eruditō, ac gravi Scriptore saeculi 1200. In illo suo opere grammatico, ubi multas etiam utiles quæstiones Theologicas movit, & declaravit, optimè exposita fuit, cùm diceret: *limbus à Latinis vocari oram, item prætextam; hoc est fasciolum illam pretiosiorem, quæ ambit, & ornat quandoque extremitatem vestium.* Propter quādam etiam analogiam etiam hoc nomine appellarent circuitum cuiuslibet rei, vel oram maris, &c. ejusque rei exempla exstant in posterioris ævi authoribus. Legitur porro apud eundem Scriptorem: ² *Item limbus ponitur pro quādam parte inferni: quatuor enim sunt loca inferni; scilicet infernus damnatorum, limbus puerorum, purgatorium, & limbus Patrum.* Idem repetit ad vocem: *infernus.* Ex quo colligere licet, Theologorum confensum hoc vocabulo ostendisse, credere se limbum esse in parte superiore inferni. Insignis hanc in rem locus est apud Hilarium Diaconum, ex cuius laudato jamtum opere, longissimōque tempore inter Ambrosianos libros enumerato multas libro 50 sententias derivavimus. Author hic agens de peccato originis, nominata naturali morte in Commentario epistolæ ad Rom. ita pergit: ³ *Est & alia mors, quæ secunda dicitur, in gehenna, quam non peccato Adæ patitur; sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur, à quā boni immunes sunt.* Tantum ^(*) in inferno erant; sed superiori, quasi in libera, qui ad Cælos ascendere non poterant.

3. MAXIME autem ad rem nostram facit, observare D. Thomam, qui, ut constat, se Augustino præ ceteris omnibus addixit. Is igitur in quæstione, ubi prolixius de hoc agit, ita docet: ⁴ *Dicendum, quod, si sit communiter dicitur, peccato originali non debetur pæna sensus, sed solum pæna danni, scilicet carentia visionis Divinæ; idque diffusè probat. Respondet deinde ad loca ex Augustino defumpa, atque obiecta: ⁵ *Ergo dicendum, quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ, & cruciatiæ, vel si quid simile in dictis Sanctorum invenitur, est largè**

⁽¹⁾ *Summa, quæ vocatur Catholicum in Proem. Inveniēt etiam hic multas utiles quæstiones naturales, & Theologicas motas, & declaratas &c. (2) in limbus. (3) Hil. Diaç. in Rom. V. 12. (4) Quæst. disp. de malo qu. 5. art. 2. (5) ad Iam. (6) Jo. III. 3. (7) Con. Jul. 4. n. 26. (8) Op. imp. I. 2. n. 143. (9) Præd. SS. c. 13. de harr. c. 88. (10) de anim. I. 2. n. 17.*

accipiendum pro pæna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendū usi sunt, ut detectabiliem redderent errorem Pelagianorum, qui asserabant, in parvulis nullum peccatum esse; nec eis aliquam pænam deberi. Apparet satis ex postremā hæc sententiā, quod Augustinum huc respexerit; apparet item, non esse itaque explodendos, qui affirmant nomina: *gehennæ, ignis, tormenti,* & similia alia non accepta hic fuisse ab Augustino in significatio propria, sed figurata, pro solā pœnā exclusionis. Videatur in Angelico articulus subseqens, quo ostendit parvulos nullum sentire cruciatum; idemque efficacius demonstrat in librum 2. Sentent.

4. Qui hujus quoque opinionis sunt, revocare in memoriam possunt, longissimāque recensere illorum seriem locorum, quibus Author noster celebrat, & extollit infinitam Dei misericordiam, quippe qui ad redimendum genus humanum proprium misit filium; & tot, tamque aeternitatem delicta nullo non die condonat peccatoribus ad frugem redeuntibus. Posset deinde considerandum proponi, fierine potuerit, ut ille idem Augustinus tantam generis humani partem, (quanta in parvulis aut ante, aut postea, quam nati sunt sine baptismō morientibus consistit) voluntarii licet, ac personalis delicti incapacem ad rogam aeternum existimari damnavi? In Scripturā solū habetur; ⁶ *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei;* & ubi deince sermo est, nunquam parvolorum fit mentio.

TERTIUM locum excludit Augustinus: ⁷ *qui nisi sit tertius illus locus, quem rejecit Augustinus:* at videndum est, contra quem, & quā occasione disputet. Profitebantur Pelagiani, infantes baptismate nondum lustratos defiri ad tertium quādam locum, ubi essent beati, & felicitate gauderent perpetuā. ⁸ *Infantibus, qui sine baptismō moriuntur provisū estis locum inter damnationem, regnumque Cælorum, ubi non sunt in inferno; sed in beatitudine sempiternā.* In alio libro: ⁹ *Facitis duas æternas felicitates, unam, quæ sit in regno Dei; alteram, quæ sit extra regnum Dei.* Locus igitur, quem promittebant parvulis, ⁹ *nescio, cuius erat felicitatis, æternamque & beatam quandam vitam continet.* Hinc D. Augustinus: ¹⁰ *Novellos hæreticos Pelagianos justissimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolice damnavit authoritas, sed quod autem fuerint non baptizatis parvuli dare quietis, & salutis locum.* Ubi videtur respicere ad epilogam quan-

dam

dam Innocentii I. & ad Concilium Africani¹ quod damnavit tertium locum, *ubi beatè vivant parvuli, qui sine baptismo obierunt*. Tertius hic locus, dictus etiam à nonnullis *Paradisus*, reprobatus, ac proscriptus fuit à S. Augustino, quia ex SS. literis evicit² *infantes non baptizatos non solum regnum Cælorum, verum etiam vitam eternam habere non posse*. Quod illud de regno parvulos concernente in loco proximè allato intelligat, demonstrant illa, quæ sequuntur: ³ *Istam nescio, quam medietatem, quam conantur quidam parvuli non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentia sint in vita eterna*, seu felicitate. Explicit id sc̄pius haud obscurè: damnati sunt, quia infantibus non baptizatis spondent⁴ *quietis vel felicitatis cūjuslibet atque ubilibet quasi medium locum*. Hoc est, quod ipse reprobat, & quod daramatum fuit à Pontificibus, & Synodis. Gelasius I. ⁵ *Tollant ergo de medio nescio, quem ipsi ter-
(*) reci- piendis. tium, quem decipiendis (*) parvulis faciunt locum*. Loquitur de Pelagianis; ac proinde non omnem locum tertium intelligit, sed illum quem beatitudinem participare posnebant. In eadem epistola ait Gelasius: esse propositionem impiam, parvulos *pro solo peccato originali non posse damnari*. Perpetuæ ipsorum damnationis etiam plures alii meminere, sed intelligentes semper eternam à Divinâ intuitione exclusionem; quam etiam mortem secundam appellare licet, quo modo semel locutus fuit Augustinus.⁶

Quoniam hoc solum sensu excluderit ipse locum tertium, liquidò videretur apparere, ubi de parvulis objicienti: ⁷ *Qualis in futuro iudicio deputabitur, qui (*) neque inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit?* responderet in hac verba: *Non metuendum est, ne vita esse potuerit media quedam inter recte factum, atque peccatum; & sententia iudicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium*. En ipissimam Nazianzeni sententiam! Observa insuper, quod, quando opus hoc singulari diligentia recensuit in Retractionibus, multasque exposuit propositiones, quæ à Pelagianis perperam accipi poterant, reliquerit tamen ante relata omniō intactam; adeoque eandem denuo ratam, acceptamque habuerit. Neque quidquam adversus hanc protulit in libro de perseverantiâ⁸ ibidem enim agebatur de incurriendâ, vel non incurriendâ

damnatione; non autem cuiusmodi est damnatio. Dixitque ibidem iteratō contra Pelagianos, non regeneratos secundam sibi mortem confiscere; non tamen declaravit in quo hæc sita foret. Confirmantur hæc omnia si observemus, agnoscere etiam ipsum plures in inferno conditiones; unde ad illum locum, ubi David gratias agit misericordia Divinæ ob liberatam suam animam ex inferno inferiore, tametsi pluribus modis exponat, collegit etiam inde duplex genus inferni, atque ex eo, quod dives sursum respexerit, *locum superiorem, & inferiorem*; dixitque alio in libro: ⁹ *ca- vendos esse inferiores inferos*. Ex quo liquet, ex eo, quod interdō ad dextram, vel sinistram stare medium nihil interfit, intelligi, eum, qui in Cælo non fuerit, ubi Deus videretur, futurum esse in inferno, ubi non videretur; atque hæc in reæqualem omnium sortem fore. Ex quo tamen non continuo sequitur, unum solum esse locum in inferno, eumque ignis, & flammarum plenum. Habemus in S. Lucâ, quod dives è flammis attollens oculos viderit, atque allocutus fuerit Abrahamum, qui certissime non urebatur igni; & qui ingenti ab ipso chao disjunctus erat, atque intervallo. Quibus verbis ¹⁰ ait S. Petrus Chrysologus, *nam justos, quam in iustos ante adventum Domini apud inferos fuisse declarat; & discutitos locis tantum, non regionibus*.

5. Qui in hac opinione sunt, existimant, ex haec tenus dictis securè deduci, quod, quando de parvulis dixit Augustinus, quod habitaturi sint cum dæmonibus in igne, aliud non intellexerit, quām quod Cælo sint excludendi, nec Divino gavisuri intuitu; atque infernum quidem hic designari, sed sensu largō. Existimant ex his omnibus planum fieri, quod, quando dixit, nonnulli duas admittendas esse partes, dexteram, & sinistram; unisque dicendum esse: *discidite in ignem aeternum; nec fore locum ullum medium parvulis, id certe de inferno, & Cælo intellexerit; at non idcirco intellexisse unum duntaxat, in inferno locum fore, omnemque igne successum esse, neque ad literam in omnes cadere, quod de potiori parte asseritur*. Veruhtamen nè consuetus turbetur loquendi modus, advertas velim, ipsummet S. Doctorem rationibus allatis se ipsum interpretari, ubi ait ¹¹ *Ignis nomine posse intelligi tribulationem!* *Ignis nomine panam potuisse significari, idque teste Scripturâ. Quæ*

(1) Conc. Afr. an. 418. n. 3. (2) epist. 186. n. 33. (3) de pecc. mer. l. 1. n. 55. (4) de orig. anim. c. 9. (5) Gelas. ep. ad Episc. Pic. (6) ad Bonif. l. 5. n. 40. secunda mortis subire supplicium. (7) de lib. arb. l. 3. n. 66. (8) de don. pers. n. 30. (9) in Ps. LXXXV. n. 18. Nisi illa esset superius, ille inferius . . . ergo inter ista duo fortasse inferna de ver. rel. n. 101. (10) Pet. Chrysol. Serm. 66. (11) Serm. 71. n. 29. Enchir. c. 68. Quæst. in Job. qu. 9. Ignis nomine panam potuisse significari, Scriptura testis est.

amabo pulchrior desiderari posset declaratio? Adde, quod de misellorum istorum damnatione passim locutus fuerit, nulla ignis, aut similium cruciatum injecta mentione. In Tractatu de perseverantiâ: ¹ Cur alii eorum mittantur in regnum, alii alienentur à regno; non ait, & alii flammis addicantur. Ubi autem id dicit, docuit S. Bonaventura: ² verbis illis ipsum non intendere, quod sensibiliter crucientur; sed ut eorum pœna manifestetur, quantum ad carentiam visionis Dei... & hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi. Nec juvat dicere, citasse eo in loco S. Bonaventuram verba S. Fulgentii, tanquam si forent Augustini. Nam Fulgentius hanc opinionem hauserat ex Augustino, unde ipsi debetur, tanquam origini. Veram suam explicuit sententiam Magister noster, quando expressit: ³ Parvulos sine baptismo de corpore exentes in damnatione omnium mitissimam futuros, & quando affirmavit contra Julianum: ⁴ mitissimam sanè omnium fore pœnam eorum. Quis unquam persuadet sibi mitem ipsum pœnam atque damnationem illam fuisse crediturum, quā quis semper foret cum daemonibus, ignique arderet. Quanquam & ipse fassus sit, definire se non posse, quæ, qualis & quanta ipsorum pœna futura sit. ⁵ Quomodo igitur asseri potest, quod judicari subire ipios pœnam ignis? scripsit itidem, non audere se dicere, quod eis, ut nulli essent, quām ut ibi essent, potius expediret. Non existimavit igitur gravi illos cruciari tormento; quo casu minus, certè ipsis malum foret, si conditi non fuissent. Verum enim verò, quanto melius illi, qui acri disputatione parvorum conditionem quam Deus nos ignorare voluit, definire praetenderet, foret dubitare de occultis, quām litigare de incertis. ⁶ Potest etiam quādam ratione ad rem præsentem accommodari: ⁷ Quis ergo novit, quid ipsis parvulis in secreto iudiciorum suorum bona compensationis referunt Deus; qui quanquam nū il recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista pœnæ sūnt?

Vindicatur Augustinus, & Innocentius, I.
IX. ATTEXEMUS hic appendicis loco vindicias Sancti Patris nostri adversus eos, qui reprehendere eum non verentur, quod sacerdōtius dixerit: ⁸ non posse infantes sine participatione corporis & sanguinis Domini habere vitam, certumque esse non eos posse ⁹ habere vitam æternam, quia non manducaverunt carnem, nec biberunt sanguinem Christi.

(1) de don. perf. n. 29. (2) S. Bonav. sent. dist. 33, qu. 2. Breviloqu. P. 3. c. 5. Non debetur parvulus pena sensus in Gehenna. Hoc credendum est, sensisse Augustinum, licet verba ipsius exterius propter derelictionem erroris Pelagianorum aliud sentire videantur &c. (3) de pecc. mer. l. 1. n. 21. (4) Enchir. c. 93. (5) Con. Jul. l. 5. n. 44. (6) de gen. ad lit. l. 8. n. 9. (7) de lib. arb. l. 3. n. 69. (8) de pecc. mer. l. 1. n. 27. (9) de Præd. SS. n. 25. (10) epist. 186. n. 28. & cont. Jul. l. 1. c. 4. S. Innocentio vide quid respondeas &c. (11) Inn. l. ep. 30. n. 5. (12) Gelas. ep. 7.

solūm

folium condemnationis ad perpetuam Divinæ intuitionis privationem: En! quomodo tertium locum excludat, sed illum, quem volebant Pelagiani, nimirum locum felicitatis, & beatitudinis, tametsi extra regnum Cœlestis. Necessaria est ad vitam æternam obtainendam Eucharistia, tanquam adjectio baptismi, qualis tum erat. Deum concludit collocationem ad dexteram pendere ex baptismo sine aliâ adjectione. Ratiocinium ejus non spectat, nisi remanentes ad regionem finis tam, quorum alii non possunt non æternis addici flammis, alii non nisi ad privationem Dei perpetuam in inferno condemnari. Sanè, quod ad Eucharistiae necessitatem attinet, credendum est, non aliter eam docuisse Augustinum,

quâm innuerat Innocentius, cùjus fē autoritate tutabatur. Non omitemus in maijorē ipsius, atque aliorum etiam hanc sententiam proferentium defensionem, animadvertere, quod S. Fulgentius per necessitatem participandi corpus & sanguinem Domini ab ipsis assertam, aliud non intellexerit, quâm necessitatem suscipiendi baptismum, cùm pluribus Scripturæ locis comprobarat: *Tunc unumque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptimate membrum corporis Christi efficitur.* Quam rem cùm etiam docuerit Augustinus, potest jure optimo hæc assertio; immo debet in ipso non mis̄us, quâm Innocentio, & Gelasio hunc in modum explicari.

(1) Fulg. ep. 12. ad Ferr. n. 26.

FINIS LIBRI DECIMI TERTII.

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER XIV.

Quam alienum à sensis Augustini sit systema doctrinæ, quod tribuerent ipsi cupiunt homines non Catholici.

VOCARI posset hic liber defensio Augustini contra criminationes, quies facti, falsique ejus sectatores in ipsum utuntur. Diluemus hic præter nota sectiorum fundamenta varias etiam cavillationes, quæ de Patris hujus doctrinis variis libellis, & commentariolis sparguntur; atque in vulgus emituntur, communique persuadentur plebeculae. Videntes itaque Authores novi schismatis, admissis suis sophismatis solum liberi arbitrii nomen in vita remanere, novum proflus ac insolens libertatis genus contumenti suere, ut aliquem saltem hujus colorem suis verbis obtinerent; scilicet, ad libertatem non requiri libertatem indifferentiæ, id est ut utrumque possit ex duobus contrariis; sed sufficere, ut quis sponte ac liberenter agat, quin ullam proponensiua vim sentiat inferri; adē quidem, ut qui peccat, cùm non possit non id agere, neque aliud possit, quâm peccare; peccat nihilominus liberè, modo peccet sponte, ac cum voluptate; quo fiat, ut modo proflus inaudito simili sint arbitrium, & vis; libertas, & necessitas. Insolentem hanc, ac lepidam planè opinionem asserebant pro more se ex Augustino promptisse, qui à nullâ longius abiuit cogitatione, quâm ista. Possibile profecto fuisse erat, ut mens adē acuta, & sublimis implicari potuerit sophismate, quod communi hominum sensu repugnat. Repugnare autem re ipsâ deprehendet, quicquid ferè voluerit omnium sanæ mentis hominum hâc de re iudicia exquirere. Illos enim si excipis, qui studio partium, vel præjudicis præventi sunt opinionibus, nusquam terrarum reperies hominem; seu vir sit, seu mulier, seu nobilis, seu plebejus; seu doctus, seu indoctus, qui in negotio quodam se liberum existimet, ubi non possit arripere, & omittere, neque habeat facultatem in utramque partem. Nihilominus in sophismatum, & subdolorum acuminum simpliciorum, hebetiorumque mentes ita implicantur, ac perturbantur, ut similitudinibus ineptis, ac fallacibus delusi in errorem impellantur; adē quidem, ut in re licet tam perspicua, & lumine natu- ræ omnibus notâ, misere tamen involvântur. Animadvertere hic licet, quanto tu- tius sâpè sit sensu omnibus sanis mentibus à Deo insiso deferre; quâm ad abstrusa reconditâ theorematâ appellere animum; eos maximè, qui non alio sâpè consilio, aut fructu studient, quâm ut de- discant, extinguântque etiam radium illum scientiæ, quem omnis secum adfert homo, dum nascitur.

F f